BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
L
B
10
NAPOLI

B. 10

HISTORIA
VITÆ R. PATRIS
EMVNDI AVGERII,
QVI
PRIMVS EX SOCIETATE IESV
CAROLO IX. ET HENRICO III.
Galliæ Regibus à concionibus & à
confeſſionis Sacramento fuit.

Auctore P. NICOLAO BAILLY *Sezannienſi*
Campano Societatis IESV.

NAPOLI



PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis
& Reginæ Architypographum, viâ Iacobæâ,
ſub Ciconiis.
ET
GABRIELEM CRAMOISY.

M. DC. LII.
Cum Priuilegio Regis.

EMINENTIS SAPIENTIÆ, ÆQVITATIS, AVTORITATIS ET BENIGNITATIS VIRO DOMINO
PETRO SEGVIERIO
GALLIÆ CANCELLARIO S.

DE Vita, moribus, fama, fortunis agitur hîc hominis in ſæculo vltimo doctrinâ, eloquentiâ & integritate præſtantiſſimi, & noſtro vix paucis cogniti, VIR ILLVSTRISSIME: *noli mirari ſi te in eius cauſa Iudicem prius opto, quàm Patronum ac Protectorem; nam vtriuſque perſonam ac dignitatem ſuſtines in Principe Regnorum, Mortalium omnium optimè. Iudicem efficiunt æquitas & Sapientia, Prote-*

ctorem Benignitas ac Potentia. Sed qui te ſapientiâ eximiè ornatum, & æquitate in paucis conſpicuum non videt, ignorat Solem eſſe luminis fontem ac principium. Et ſi quis in te Poteſtatem eminentem, cum ſumma Benignitate non ſuſpicit, oportet ſtupidum eſſe aut ingratum. Cui enim obſcurum eſſe poteſt, quod Galliæ vniuerſæ voce perfertur, te Sapientiæ magnitudine, ad ſupremam politicæ gubernationis dignitatem, ſummâ Ludouici Iuſti omniúmque Ordinum voluntate prouectum, atque iam annorum plus quatuordecim continua Pietatis, Temperantiæ, æquitatis, Religionis & virtutum omnium exercitatione perfectum? Quis te non experitur in ſplendore ſummæ Poteſtatis atque autoritatis, ita Clementiæ, Modeſtiæ, morum ſuauitatis, Benignitatis, & humanitatis temperatum officiis, vt nemo ſit tam miſer, atque derelictus à ſua & aliorum ope, cui liber ad te non pateat aditus, & in afflictis ac

pœnè deſperatis reb... aliquod in te non conſtituat, expectétque præſidium. Sicut enim te Regni Proceres dignitatis ac Maieſtatis Regiæ Moderatorem, & publicæ fœlicitatis Arbitrum, Magiſtratus legum ac decretorum, vindicem, iuſtitiæ Antiſtitem, Themidis Oraculum, agnoſcunt; Ita priuati prædicant Tranquillitatis ac publicæ quietis aſſertorem, communis boni tutelam, omnium gratiarum diſpenſatorem: ſentiunt Protectorem Eccleſiæ, Academiæ tutorem, Religioſi Parentem, viduæ & Orphani defenſorem, Adiutorem afflicti, Egeni & Pauperes benefactorem, Captiui Redemptorem.

Sexageſimus pœnè vertitur annus, ex quo poſt res in Gallia optimè geſtas, docendò in diuerſorum populorum Gymnaſiis, concionandò in celebrioribus Galliæ & Italiæ Ciuitatibus, excitandò milites in præliis, hæreticos ad fidem & orthodoxam Eccleſiæ doctrinam reuocandò, operam & vitam exponendò pro ſalute

peſte laborantium in agris & vrbibus, neceſſitatibus egenorum ſubueniendò in Noſocomiis, & in Aulis Regum ac Principum labores multos, diuturnóſque ſubeundò, vir non minùs dicendi facultate & agendi prudentia, quàm virtutibus religioſæ vitæ propriis inclytus detinetur in tenebris, fermè ſitu ac pædore ſqualli-dus, quorumdam hominum, præſentis & antecedentis ſæculi negligentiâ ſcribendi potiùs, quàm mala voluntate, & ignorantiâ rerum ab eo geſtarum; quarum memoriam plerique grata recordatione ſunt proſecuti, nonnulli tranſmitti ad poſteros poſtularunt, alij affirmarunt omni dignam commendatione, denique ſuis ſcriptis etiam quidam illuſtrarunt, ſed tantùm obiter, nec eo modo, qui ſatis ſit, ad eximendum illum ab illuuie, & reſtituendum ſplendori, quem conſtanti omnium opinione meretur. Quod quâ tùm ipſius, tùm publicæ rei iniuriâ iacturáque perfectum ſit, tuum eſto, VIR SAPIEN-

TISSIME, *iudicium : ad quem ex officio omnis Gallici tam priuati quàm publici Iuris ratio conſtitutióque pertinet. Nam ſanè tu es ille cui ſoli, proximo ab Rege in ſecretiori Conſilio ſedere, Præſidere in magno & Generali, in aliis omnibus, per vniuerſum Regnum locum primum tenere, conceſſum eſt. Tu qui omnium dignitatum ac Magiſtratuum ornamenta, quæ olim apud alias nationes in pretio ac æſtimatione fuerunt vno comprehendis ac ſuſtines Cancellarij nomine, de quo aptè ad inſtitutum meum Bernardus multis ante ſeculis ſcribebat ;* Nullum fermè fieri in Regno bonum quod per manus Cancellarij tranſire non haberet, & vel vix bonum iudicetur, quod eius non fuerit prius examinatum iudicio, moderatum conſilio, ſtudio roboratum, & confirmatum adiutorio. *Hæc enim vt ſunt ab homine ſanctiſſimo, atque ſapientiſſimo verè & prudenter excogitata, ita Augerio (nam id*

eſt iſti viro vix dum cognito magnificum nomen) & mihi primo eius vitæ Scriptori non defutura coniÿcio, tùm ex tua ſingulari boni publici procurandi cura & perſpecta naturæ propenſione benefaciendi omnibus; tùm ex Charitate peculiari, quà vniuerſæ Societatis IESV *homines complecteris, & tibi nouis quotidie beneficiis obſtringis; quæ poſtulo, vt pro tua benignitate patiaris à me aliqua ſaltem grati animi ſignificatione, & exigui muneris oblatione rependi. Etſi enim in eo non ſit aliquid quod tuorum beneficiorum ac meritorum magnitudini reſpondere poſſit, opus eſt tamen diuturni temporis, multarum vigiliarum & exquiſiti laboris, quod poſt Vrbis Romæ iudicium, & multorum hominum Doctorum oculos, Cenſuram Trium ex quinque, quas Societas* IESV *in Gallia numerat Prouinciarum perquiſiuit attentè, & repertam ac toleratam non multùm reformidauit. Ad quam, ſi inſuper tui indicÿ*

Perſpicacitas & tuæ Celſitudinis ſuauis aſpectus, ſi fauor, ſi optabilis amplexus accedat, non video in poſterum quid iam poſſit impedire quominùs ſecurè, fœliciter & intrepidè publicæ lucis ſplendorem ſuſtineat, & Augerium de obſcuritate, in qua prior ætas detinuit, tua autoritate ereptum, talem omnium oculis repræſentet, qualem eius merita requirebant, & iam pridem oſtendi ac repræſentari oportebat, ſtylo fortè locupletiori, ſed non pertinaciori labore illius qui nomine totius Societatis IESV, *& ſuo hoc qualecumque opus tuæ eminentiſſimæ Dominationis Celſitudini conſecrat, deuouetque,*

Obſequentiſſimus ſeruus
in Chriſto,
NICOLAVS BAILLY.

AVCTOR
AD LECTORES.

PRodit tandem in lucem poſt annos multos, partim meâ incuriâ, partim cunctatione Bibliopolarum, perpuſillum Opus in mea ætate prima conceptum, in florenti perfectum, editum in confectâ, Romæ & alibi paſſim iudicatum typis dignum; quod ex puſillo, ſi cordi eſt, magnum facere poteſtis. Si enim benignè ſuſcipitis, ſi fouetis amanter, ſi voluitis accuratè, ſi in actiones veſtras magnas transfertis non oſcitanter, profectò magnus fiet, quia librum magnum non tam facit Scriptoris, quam Lectoris manus.

Cum enim cuiuſuis Libri aliorum præclarè facta continentis, & ad legendum expoſiti, finis ſit, non tam laus aut approbatio legentis, quàm factorum imitatio quæ leguntur; ſi hæc perlecto libro deſit, quantumuis mole ſit magnus liber, puſillus tamen erit, quia fine ſuo à quo dependet omnis rei perfectio carebit. Et ſi adſit, cæteris

deficientibus, puſillus licet, continuò magnus erit. Magnus eſt fateor verbo & opere, qui noſtro hoc libello deſcribitur; magna quoque ſunt quæ de illo ſingulis capitibus ſine vllâ amplificatione aut digreſſione referuntur: ſed quid prodeſt legere, niſi lectis magnis, per imitationem magna fiant? Atque hoc eſt primum quod Lectores meos precor & flagito.

Secundum, vt ſi in hiſtoriæ decurſu occurrant viſiones quædam, nonnullæ ſententiæ aut voces, quæ illius de quo vita ſcribitur, vel aliorum ſanctitatem & beatitudinem confirment, non putetis velle me quicquam loqui aut facere, contra decretum & explicationem S. D. N. Vrbani Papæ Octaui, die 13. Martij, anni 1625. & 31. quo prohibuit admitti abſolutè Elogia ſancti vel Beati, niſi illa quæ cadunt ſupra mores & opinionem, cum proteſtatione quod ijs nulla ſit auctoritas ab Eccleſiâ Romanâ, ſed fides ſit tantum penes Auctorem. Proteſtor enim quæ in hoc opere afferuntur aut dicuntur, ſolùm intelligi à me velle, atque ab aliis omnibus, eo ſenſu quo ſua Sanctitas, voluit aut præcepit intelligi & in medium proferri.

Tertium, quod cum Augerius Natione

ſit Gallus, cuius Latinè vitam legendam propono Gallis, quorum pars maxima Latinè vel neſcit, aut maternâ linguâ magis afficitur quàm peregrinâ, intelligatis cuſtodiri apud me populari & vernaculo idiomate conſcriptam, eo fine, vt cum exterarum Nationum, quarum causâ Latinè eſt exarata, votis & curioſitati ſatisfactum erit, Gallicè quoque curetur edi; vt ſic omnium expectationi, & cupidini ſeruiatur. Præterea, me cum quibuſdam aliis optaſſe, vt huic Latinæ editioni adiungerentur quædam Augerij Opuſcula ſtrictâ oratione ab eo Latinè ſcripta, qualia ſunt Elegiæ, & quædam Epigrammata, ex variis locis ad me miſſa: deinde alia quædam ſolutâ, Latine à me reddita, nempe, Admonitio ad Populum bellis ciuilibus æſtuantem, ſub nomine Saccari ſpiritalis Toloſæ vulgata, cum duabus Epiſtolis quarum vnâ conſolatus eſt Lugdunenſes peſtis tempore, alterâ, Martinum Rouellum certiorem facit de obitu Caroli à Lotharingia Cardinalis illuſtriſſimi, nunquam typis mandatâ; propterea quod multa continerent apta ad confirmationem eorum, quæ de Augerio in eius vitâ dicuntur, & quia hoc modo poterant ab communi rebus omnibus paruis iniuria vindicari.

Sed quoniam aliter viſum eſt viris ſapientibus & doctis mihi intimâ familiaritate coniunctis, ego hîc prætermittenda eſſe duxi quidem,& tamen conſeruanda,donec commodior opportunitas ſe offerat ea publicandi, vel aliis adiungendi, quæ fortè propediem reperientur.

Quartum, verſari in manibus etiamnùm aliud opus complurium votis maioribus expetitum, & in Congregatione Prouinciali penultima Franciæ, commiſſum ſtylo admodùm eruditi viri nuper vitâ functi, nec inchoatum; quod ſub hac Epigraphe, *De Gallis Societatis* IESV *in Galliâ, & extra Galliam doctrinâ & virtute illuſtribus*, comprehenſum,in plures Decades ſic à me diuiditur, vt ſingulis capitibus parùm prolixis, vnus aut alter Ieſuita Gallus, cum delectu, ſit attributus, iuxta ordinem & tempus ſui in Societatem ingreſſus. Faxit Deus,vt iam plus mediâ parte prouectum non ſinat ſine ſuo complemento ab Auctore deſeri, iam trium & ſexaginta annorum ſene. Quod ſi contingat, ſpero Opus vniuerſæ Societati, ac præſertim Gallicæ, non ingratum fore,& ad multorum excitandam & augendam perfectionem in Dei ac proximi amore & obſequio profuturum.

Denique, vt quoniam ea exiſtit huius mortalis vitæ infirmitas, vt ſit vix vllum opus quantacunque ſedulitate & vigilantia accuratum quod peccato careat aut defectu; ſi forte Typographo meo in impreſſione huius Libri, aut mihi in expreſſione rerum, aut expolitione verborum quæ continet, errata quædam, vel peccata exciderint, ea pro veſtrâ ſingulari humanitate & beneuolentia, mihi, & illi condonata velitis.

Sed quoniam grauia quædam, & maiori quam optaſſem numero, ab illo commiſſa, non ſine ſtomacho procul abſens comperi; ad extremum vos rogatos velim, ne ad huius libri lectionem prius accedatis, quàm Indicem præcipuorum erratorum ad calcem hîc poſitum legendo percurratis, atque etiam ſi vacat ſcribendo corrigatis, donec per aliam editionem commodiùs omnia ſuo tempore poſſint emendari.

ELENCHVS CAPITVM TOTIVS OPERIS.

CAPITA LIBRI PRIMI.

Cap. 1. AVGERII *ortus & educatio. p.* 1.

Cap. 2. *Romæ à ſancto Ignatio in Societatem* IESV *admittitur. p.* 2

Cap. 3. *Augerij profectus in Tirocinio Beati Ignatij de illo iudicium.* 10

Cap. 4. *Peruſij, Romæ & Patauij docet.* 13

Cap. 5. *In Galliam mittitur, & Apamiis aduerſus hæreſim pugnat.* 16

Cap. 6. *Turnone Rector creatus ſimul concionatur, ac Theologiam docet.* 29

Cap. 7. *Valentiæ Cauarum ab hæreticis capitur, atque ab extremo diſcrimine diuinitùs liberatur.* 26

Cap. 8. *Apud Aruernos fidem conſeruat, & auertit hoſtem.* 31

Cap. 9. *Lugduni ſacrificium Miſſæ vno anno intermiſſum primus celebrat, pacem Catholicos inter & hæreticos firmat oratione & prudentiâ.* 35

Cap. 10. *Periclitatur Lugduni, & ſuis laboribus famam apud eos excellentem amorémque Ca-*

roli Galliæ Regis ſibi conciliat. 39

Cap.11. *Lugdunenſes in peſte iuuat.* 42

Cap.12. *Poſt edita ſolemnia Profeſſorum Societatis vota, primus Aquitaniæ Prouincialis creatur, & Lugduni Collegium conſtituit.* 38

Cap.13. *Ab vrbe Lugdunenſi pericula amolitur, ac ſancti Irenæi Lugdunenſis Epiſcopi reliquias quæ putabantur exuſtæ, eidem poſt multos annos reſtitui curat.* 55

Cap.14. *Lutetiæ Pariſiorum Societati* IESV *nomen & lucem affert.* 64

CAPITA LIBRI SECVNDI.

Cap.1. M*Etis in Lotharingia nutantem Religionem Catholicam confirmat.* 70

Cap.2. *Dum percurrit omnia Societatis* IESV *munera, in morbum incidit periculoſum, à quo diuinitùs momentò curatur.* 78

Cap.3. *Pœnitentium diuerſi cœtus quos in multas Galliæ vrbes introduxit, ab Aduerſariis defenduntur.* 84

Cap.4. *Variæ pietatis ſcholæ retinendæ Religionis causâ in ciuitates Galliæ introducuntur.* 91

Cap.5. *Iuuat oratione Capucinos in adeundo Regno, & conſtituendo Equitum S. Spiritus Ordini adlaborat.* 98

Pia

Cap. 6. *Pia, quadam opera concionando inſtituit.* 106
Cap. 7. *Diuerſa Collegia Societati ſuis laboribus parit.* 111
Cap. 8. *Burdigalenſi Collegio extremâ laboranti inopiâ ſuccurrit.* 123
Cap. 9. *Congreditur cum hæreticis, & egregia de hæreſi trophæa reportat.* 128
Cap. 10. *Ab Aduerſariorum calumniis liberatur.* 136
Cap. 11. *Emolumenta quæ diuerſis Galliæ Collegiis attulit opportunè.* 141
Cap. 12. *Lugdunenſibus peſte iterum laborantibus adeſt.* 151

CAPITA LIBRI TERTII.

Cap. 1. *Qualis in aula fuerit, & quid in ea geſſerit.* 157
Cap. 2. *Multa aduerſa generosè patitur.* 163
Cap. 3. *Lugduno propter ciuilia bella diſcedere cogitur in Italiam, ibique laborat ad obitum vſque.* 169
Cap. 4. *Comi in Longobardia piè moritur.* 173
Cap. 5. *Corporis forma & ſcriptorum Catalogus, cum acutè dictis.* 179
Cap. 6. *Pia quædam mulier Augerium in obitu inter beatorum turmas videt.* 184

Cap.7. *Quid de Angerio ſenſerint ſcripſerintque viri graues & eruditi?* 190
Cap. 8. *Eius Virtutes & inſigniora opera in Epitomen redacta.* 206
Cap.9. *Angerij Eloquentia & dicendi vis exemplis illuſtrata.* 218

Approbatio Prouincialis.

EGo Stephanus Cherletus Societatis IESV in Prouincia Franciæ Prouincialis facultatem concedo, vt liber cui titulus eſt Vita Reuerendi Patris Emundi Augerij à P. Nicolao Bailly compoſitus, & trium eiuſdem Societatis eruditorum virorum iudicio approbatus, typis mandetur: in quorum fidem has literas manu mea ſubſcriptas, meique officij ſigillo munitas dedi. Cadomi 8. Auguſti 1648.

STEPHANVS CHARLETVS.

SVMMA PRIVILEGII Regis Chriſtianiſſimi.

CAVTVM eſt auctoritate Regis, ne quis in regno ſuo, aliíſve locis ſuæ ditioni ſubiectis intra nouem annos proximos, librum qui ſic inſcribitur, *Hiſtoria Vitæ R. P.* EMVNDI AVGERII, *Auctore* NICOLAO BAILLY, *Societatis* IESV: abſque Sebaſtiani Cramoiſy Architypographi Regis & Reginæ permiſſu, imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium: qui ſecùs fecerit mulcta indicta, prout ampliùs in diplomate regio continetur, coërcebitur. Datum Pariſiis die 17. Decembris 1651. Sic ſignatum, De mandato Regis,

CRAMOISY.

HISTORIA

HISTORIA

VITÆ R. PATRIS EMVNDI AVGERII,

QVI

PRIMVS EX SOCIETATE IESV CAROLO IX. ET HENRICO III. Galliæ Regibus à concionibus & à Confeſſionibus fuit,

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Augerij ortus & educatio.

QVAM ſolenne eſt tùm ſacris, tùm profanis Scriptoribus, vt viros doctrinæ & virtutis gloriâ illuſtres Solis, Lunæ, aliorumque ſyderum cœleſtium ſplendori conferant, tam non inſolens atque inſuetum cui-

quam videri debet, ſi aggreſſurus ſcribere vitam Emundi Augerij Societatis IESV Sacerdotis, multis virtutum ac ſcientiarum ornamentis conſpicui, ego illum Stellæ comparatum velim, in medio nebulæ reſplendenti; cui olim Siracides Myſtam ſuum Oniam comparabat. Vir enim fuit Augerius de quo verè ſanctéque affirmari poteſt, quod eſt à Siracide de Onia dictum; nempe quod *in vita ſua ſuffulſit Domum*, hoc eſt Chriſti Eccleſiam, & irrigauit *Puteis aquarum*, excellentis doctrinæ ac facundiæ. Quòd *Curauit Gentem ſuam*, nempe Gallicam. *Et liberauit eam ab hæreſis* & vitiorum fermè omnium perditione. Quòd *Præualuit amplificare Ciuitates*, Lugdunum, Toloſam, Metas, Burdigalam, Dolam, Diuionem, Rutenas, Lutetiam, multorum hominum conuerſione & ſanctimoniâ. *Adeptus gloriam in conuerſatione* Regum & Principum Regni totius Orbis nobiliſſimi, in quo refulſit inſtar Stellæ matutinæ, non tamen carentis aliquarum nebularum caligine, quas ſicut in eius vitam introduxit partim rerum, quas geſſit, multitudo, ac diuerſitas, partim temporum, quibus vixit, iniquitas,

Capite 50. Eccleſiaſtici.

partim ſcriptorum inopia : ita per exa-ctam eius rectè factorum diſquiſitio-nem, & accuratam narrationem poſſe diſſipari, nemo negabit opinor, & ſic in perfectum puri & ſinceri ſyderis ſplen-dorem reſtitui. Ergo vt id auſpicatò & Deo autore fiat. In extremis Gallicæ Campaniæ finibus, quà ſe in vicinos Brienſes exporrigit, oppidum eſt Se-zannio (quæ vrbs eſt in diœceſi Tre-cenſi non ignobilis) finitimum: Alel-mannum incolæ vocant, vnde Reue-rendus Pater Emundus Augerius vir ad Galliæ præcipua quæque emolumenta, & Societatis IESV vniuerſæ ornamen-tum egregiè compoſitus duxit origi-nem, anno reparatæ per Chriſtum ſalu-tis ſupra milleſimum quingenteſimum trigeſimo, imperante Gallis Franciſco primo Rege Chriſtianiſſimo, Romanam verò ſedem gubernante Clemente ſep-timo Pontifice Maximo. Quo tempore duo in vrbe Galliæ principe naſceban-tur diuerſiſſimi ſtudij mentiſque exami-na : hinc hæreticorum conſcelerata fa-ctio, per excitos diuerſis ex partibus Chriſtiani orbis docendi causâ Ludi-magiſtros, de quibus complures iam an-

te diſceſſum è patria, peſtiferum erroris Lutherani venenum hauſerant; illinc IESV ſocietas per Ignatium eodem ſtudendi cauſâ profectum, iámque ſocios eiuſdem ardoris atque animi ſibi adiungentem olim pro fide orthodoxa aduerſus hæreticorum furorem ſtrenuè pugnaturos.

Et iam illi Augerium inter alios diuinum numen Gallorum rebus inuigilans præparabat, iis naſcentem exornans dotibus, quas poſtmodùm Gallia magno ſuo commodo ſingularique admiratione eſt proſecuta. Pater ei fuit Ioannes Augerius Agricola, Mater Petronilla Criquebicca pietatis in egenos, & liberalitatis in eos qui ſe Deo dedicarant gloriâ maiores ambo, quàm fortunarum copiâ, quamquam iis pro conditionis ſtatu & oppidi magnitudine non defuerunt. Sed diuino conſilio factum exiſtimo, vt Agricolâ patre naſceretur, qui tantos in agro Domini labores eſſet aditurus.

Ludouicus Marius Sezannienſis Decanus & Parochus in litteris anni 1507.

Vix ad annum ætatis ſeptimum creuerat, cum Iacobo Criquebicco auunculo, non illiterato Pagi vicini Parocho, primis litteris imbuendus traditur. Ex cu-

ius diſciplina, cum animi corporiſquè mole grandeſceret, Pariſios ad fratrem mittitur. Erat enim tùm in Academia Pariſienſi frater iam firmâ proueâáque ætate Stephanus Augerius, homo litteris humanioribus apprimè tinctus, & Medicinæ, quam poſtea publicè profeſſus eſt, ſcientiâ clarus, cui magna cum Petro Fabro primo ſancti Ignatij ſocio, propter ſtudiorum communionem, neceſſitudo fuerat.

Verum cum Lutetiam veniſſet Augerius, & fratrem Lugdunum iam docendi causâ profectum fruſtra requireret, in viam ſe dedit lætus & alacer, & Lugdunum non ſine magno labore & itineris præſertim puero longi moleſtiis appulit, vbi fratre præceptore & ſtudiorum adiutore vſus tantos in literis & virtute progreſſus fecit, vt æquales omnes longo poſt ſe relinqueret interuallo. Quæ res ita fratris animum pupugit, vt Romam ad Patrem Fabrum veterem amicum cum literis mittere decreuerit; tùm vt ſtudiorum curſum bene iam cæptum conficeret; tùm etiam multò magis, vt, ſi fortè cælo ita viſum eſſet, quod iam Medicinam profitenti per ſe facere non

liceret (eum enim olim iungendi ſe primis Societatis Iesv Patribus deſiderium tenuerat) aliquantò feliciùs & cumulatiùs in Emundo fratre compleret.

CAPVT II.

Romæ à Sancto Patre Ignatio in Societatem Iesv *admitttitur.*

Anno 1546. OBierat diem ſuum Pater Faber biennio fermè antè quàm ad vrbem Emundus partim precariò, partim fratris ſubſidiis aduentaret. Itaque fruſtratum ſperato Fabri præſidio, neceſſe fuit Adoleſcentem inopem, peregrinum, alieno in ſolo multúmque diſtanti ſubleuandæ inopiæ nouum conſilium rationémque conquirere.

P. Ianinus ſocius P. Augerij tēpore peſtis Lugdunēnſis in litteris an. 1614.

Locus eſt in vrbe, in quem Amanuenſes frequenti circulo conuenire ſolent, vt ſuam operam in ſcribendo negotiatoribus ac Romanæ Curiæ Proceribus vendant: in eum cum theca calamaria & codicillis, quæ tum reliquæ opes erant, ſe confert Augerius; ea mente, vt ei qui primus occurreret, ſe permitteret vtendum, occupandúmque quacumque in re officióq; maxime luberet,

Quis hîc neget vigilem diuinæ prouidentiæ oculum ſe propiùs hominum, ac præſertim adoleſcentûm afflictis rebus immiſcere? Ecce tibi Pontius Gogordanus Romanæ domus Procurator in campum floræ egreditur, vbi tùm Adoleſcens in omnem fortunam attentus, otij famiſque quâ admodum vrgebatur impatiens dominum ſibi mitti anxiè expectabat. Vix Pontium conſpicatus eminùs (fortè Fabri memor, cuius externam ſpeciem habitu ſaltem referebat) cùm ad eum conuolat intrepidus, rogat impendiò ne ſe Gallum Adoleſcentem neceſſariis omnibus rebus ſpoliatum, longè à patria diuulſum, & Fabri reperiendi causâ, huc à fratre miſſum deſpiceret: deinde petit, vt, ſi nulla honeſtior domi ſuſtentandæ vitæ condicio foret, ſe famuli locum tenere pateretur.

Enimuerò pij Patris animum cepit Adoleſcentis miſelli ſancta commiſeratio, eúmque domum lubens volénſque deduxit. Exercitus eſt ergo primùm in priuatis domus officijs, & Coquo datus eſt adiutor; quo in munere cùm naui Adoleſcentis promptíque partes omnes expleret, cœpit illicò quibuſdam in opi-

P. Hieronymus Natalis admiſſus in Societatem.

S. Ignatio ſtatim ſocius coqui domeſtici effectus eſt P. d'Outreman. lib. de viris illuſtribus Soc. Iesv.

nionem ſolertiæ ac ingenij venire. Vſque adeò verum eſt lucidum quiddam eſſe ingenium ac in omnibus rebus etiam viliſſimis gemmarum inſtar ſe prodere! Quod cum multis cognitum perſpectúmque eſſet, non potuit, diu Patrem Ignatium fugere, qui tùm propagandæ ſocietati, nouáque ſobole amplificandæ maximè intendebat. Cùm igitur iuuenem in loco vnde ſe videre nullatenus poſſet, ſermones variis de rebus aptè concinnéque ſerentem non ſine magna voluptate audiret, affirmantémque ſe, ſi per Magiſtrum domus liceret, (ita ſanctum Ignatium appellabat) libenter in ſocietate victurum; Adoleſcentem ad ſe vocat Beatus Parens, ſciſcitatúrque blandè (vt ſolebat) de nomine, patriâ, parentibus, aduentus in vrbem causâ, atque aliis eiuſmodi, ad quæ ille deinceps & ingenuè reſpondit. Vbi etiam eius oratione didicit, literis operam nauâſſe, latinéque aliquid & loqui & poſſe; tum imperat, periclitandi hominis gratiâ Epigramma quâ de re ipſe vellet componere, & ad ſe deſcriptum ſtatuto tempore adferre.

Hic ſolicitare venam Augerius iam-

pridem intermiſſa ſcribendi conſuetudine languidam & in Patris commendationem verſus inter ollas & cacabos fundere: quos cùm ad eum horâ condictâ detuliſſet, laudauit, primùm Ignatius, atque vt ingenij abundantis fœcundíq; partum agnouit. Deinde, cùm quæſitis hinc inde laudibus ſuis Epigramma refertum eſſe cerneret, ſubridens homo demiſſiſſimus, breuíque interpoſitâ morâ; Putaſne, inquit, Emunde, in me vno eſſe quæ tu hoc Epigrammate coaceruaſti laudum ornamenta? cui non minus candidè quàm ſolerter & ingeniosè Emundus, vtrum eſſent, nec ne, parùm laborare; ſibi aduerſum ſatis quod eſſe deberent.

Quo ex reſponſo iuuenis pellucidam candidámque mentem exoſculatus, charum illum habere cœpit, & ab ollis & patinis excitatum, Patri Hieronymo natali primò inſtruendum; Deinde ad Rhetoricæ Philoſophiæque ſtudia tranſtulit: quibus in ſtudiis cum ingenij excellentis & iudicij non vulgaris ſpecimen ederet, anno tandem milleſimo quingenteſimo quinquageſimo in Societatem IESV à Beato Parente eſt cooptatus.

CAPVT III.

Augerij profectus in tyrocinio, & Beati Ignatij de illo iudicium.

HIc mihi ad explicandum Augerij in virtutis via progreſſum, vbi primùm ad Societatem appulit, ſufficere deberet dicere iuuenem naturâ promptum, calentem, vegetum, plenum animi & ardoris, eo ætatis tempore quo ad omnem honeſtatem fingi facile poteſt in Beatum Ignatium incidiſſe, à quo ad omnia ſocietatis munia, quorum magnitudinem optimè perſpectam haberet, egregiè formaretur. Ex hoc enim facilè intelligi poteſt Augerium iam in ipſo tyrocinio virtutibus hominum Societatis Iesv propriis præſtantem fuiſſe, cui tam præclarum exemplar intueri propiùs & in ſe adumbrare conceſſum ſit. Quod cùm ei qui Inſtituti Canones attendere voluerit, nullo modo incredibile videri queat; tùm profectò illi multo minùs, qui primos Societatis Iesv Annales ſcrutatus fuerit, ibique præcepta legerit, quæ ſuis alumnis dabat Ignatius, & opera heroica ad quæ per varia tenta-

menta Tyrones erudiebat. Ex duobus quæ de ſe commemorabat Emundus, licebit aliorum coniecturam facere.

Contigit illum in valetudinario, cui tùm iuſſu Beati Parentis ſeruiebat, hiantem abeundò portam relinquere deprehendit, ac reuertentem pro foribus toto die ieiunum ſtare iuſſit, & corpore externum aërem prohibere. Aliâs frigidam ægris miniſtrare oblitum diu in ipſo fonte detinuit.

Quod autem fuerit Beati Ignatij de eius progreſſu iudicium, nullo negotio colligi poteſt ex primo capite libri quinti Vitæ ipſius, in quo quæ de Adoleſcente quodam acri ingenio & vehementi naturâ dicuntur, de Augerio (interprete Patre Oliuerio Manaræo) intelligenda ſunt. Augerio enim natura talis erat, qualem Ignatius in ſuis eſſe optabat, agris fertilibus non abſimilem qui præter bonas & ſalutiferas fruges, magnam initio vim herbarum inutilium proferunt; At vbi ſemel atque iterùm Agricolæ induſtrij curâ caſtigati ſunt, in admirabilem bonarum frugum omnis generis vbertatem erumpunt. Quamquam enim, vt ante ſignificaui, ad virtutem

P. Rebadeneira in vita S. Ignatij.

Verum etiam animæ virtutum capaces ac fertiles, emittant ſæpe vitia quibus hoc ipſum iudicēt cui virtuti ſint accommodatæ. Sicut enim Agri-

colæ quam terram viderint quã uis inutiles tamen ingentes herbas progignere frumenta aptã eſſe pronuntiant. Sic ille animi motus quo Moyſes, &c. Auguſt. l. 22. contra Fauſtum.

ſatis incitatus ipſe erat, tamen ea vis erat ingenij, vt nonnunquam minus ſedati motus ex illo naturæ nimia fertilitate ſe frangerent.

Itaque paternè Beatus Ignatius iuuenem ad prauos animi motus compeſcendos exhortatus victoriæ ſui ſæpius admonebat, hac mercede propoſita, vt, ſi generosè de ſe triumpharet, multò illuſtriorem, quàm cæteri qui mitiori eſſent indole, à Deo coronam eſſet accepturus. Et cum illum Miniſter Romanæ domus vt non ſatis quietum ac tractabilem apud Ignatium grauiter accuſaret; Beatus Pater, qui non naturæ facilitate virtutis magnitudinem, more vulgi metiebatur, ſed generoſâ victoriâ quam de ſe quiſque reportaret; hominem blandiùs loqui iuſſit, cúmque propter quem tantoperè ſuccenſeret, plus in Dei via paucis menſibus confeciſſe itineris affirmauit, quàm duos alios (placatiſſimos verò tùm ex æqualium numero nominauit) qui omnium iudicio virtute cæteris anteire putabantur.

Hæc tam illuſtris de Emundo apud Ignatium recondita opinio forſitan cauſa fuit, vt exeuntis tyrocinij tempore,

cum prima Collegij Romani fundamenta iaceret ex tredecim quos docendi causâ è primo Profeſſorum domicilio in anguſtas ædes Saxo Capitolino proximas, Rectore Ioanne Pelletario mitteret, Augerium elegerit, quem poëſi docendæ media in ſtabuli parte, vt ipſe dicere ſolebat, præficeret. Quo in munere cum ſocij multa ab externis Ludimagiſtris conuicia contumeliáſque pertulerint, dubium eſſe non poteſt, quin magna eorum pars in eum quoque reciderit.

Orlandinus 1. parte hiſtoriæ Societ. Iesv lib 11. num. 6. 7.

CAPVT IV.

Peruſij, Romæ & Patauij docet.

EXCITAVIT Romani Collegij fama complures Italiæ Principes viros ad optanda ſuis in vrbibus Collegia, in quorum numero voluit eſſe Fuluius Corneus Cardinalis Peruſius. Cum enim Peruſij (quæ vrbs eſt apud Etruſcos ſanè peramœna & Academiæ nomine illuſtris) frigere litterarum & pietatis ſtudia cerneret, concilio habito cum primarijs Ciuitatis viris, duodecim de ſuis à B. Ignatio ad excitandum ea in vrbe

Orland. 1. p. hiſtoriæ Iesv l. 12. n. 15.

Collegium poſtulauit, qui Antiſtitis liberali petitioni annuens Augerium nondùm Sacerdotio initiatum cum P. Euerardo Mercuriano ad eam ciuitatem miſit. In qua vix dici poteſt quanta cum frigore, Aquilonibus, fame, febribus, ipſáque egeſtate pugna ſuſcipienda fuerit.

Nam cùm ſuper ea domo quæ Collegio inſtituendo deſtinata erat lis interueniſſet, in ſuprema Antiſtitis ædium parte cælo tectóque proxima degendum fuit, vbi nihil erat admodùm mirabile, præter ſummam omnium rerum penuriam, quam eò deueniſſe poſtea in familiari ſermone commemorabat, vt ouum in quinque hominum ſuſtentationem partiendum eſſet. Nihil tamen ea incommoda hominem eiúſque ſocios deterruerunt, quominus vnam ex tribus tunc inſtitutis Scholis regendam ſuſciperet, ad eámq; adiungeret culinæ admodum frigidæ curam; cui parandæ vt tempus inter docendum ſuppeteret compoſitionis in cubiculo relictæ aut omiſſi libri ſimulatio non mediocriter conferebat.

Accedebant ad eos labores in triuiis ac compitis conciones, ad auertendum

otioſæ plebis animum à fraudulentis circulatorum præſtigiis, atque ad pietatem Chriſtianam traducendum. In quo ita floruit præcox & præmatura Augerij facundia, vt iam tùm non obſcura illius eloquentiæ, quam poſtea in templis ac publicis concionibus oſtenſurus eſſet, apud homines relinqueret argumenta. Nam circulatorũ aliquos ex vrbe cedere, atque aliò merces deportare coëgit, nonnullos ità dicendò perculit, vt conſcientiæ vulnera totis decem annis pertinaciter obducta ſpiritualibus Medicis per confeſſionem ſalutarem detegerent.

Atque his aliiſque tolerantiæ fructibus onuſtus ouánſque in vrbem poſtmodùm rediit, vbi iubente Ignatio Romæ Rhetoricam cum Benedicto Pererio non ſine excellentis eruditionis & eloquentiæ fama publicè profeſſus eſt, & aliquot annos P. Emanuelem Sa præſtantem Theologum cum æquali iudicij virtutiſque commendatione audiuit, quamquàm perantiquo grauíque teſte didici illum poſtea in Gallia Ioannis Rogerij priuatis lectionibus in Theologiæ ſtudio vſum eſſe, ac Patrum aſſiduâ lectione, multa de illâ præſtantiſſimâ atque

Franciſcus Sachinus parte 2. hiſt. Societ. Iesv lib. 12. n 73.

omnium Reginâ ſcientiâ didiciſſe. Patauij deinde Eloquentiam profiteri iuſſus, magnum ſibi apud viros doctos, quibus illa vrbs ſemper abundauit, nomen peperit, & Societatis Scholas à ſolitudine & obſcuritate, in qua eatenùs iacuerant, ſuâ facundiâ liberauit.

CAPVT V.

In Galliam mittitur, & Apamijs aduerſus hæreſim pugnat.

INTEREA dùm in Italia docendo ac dicendo laborat Emundus, Gallia ſublato de medio Henrico ſecundo Rege, Societatis IESV & Eccleſiæ Catholicæ perſtudioſo defenſore, mœret ac lamentatur; hæretici diuerſis regni partibus audaciam confirmant & propagant inſaniam.

Parte 2. hiſtoriæ Soc. Iesv lib. 3. n. 70 & lib. 5. n. 186.

Apamiæ vrbs eſt Aquitaniæ ad Pyrenæorum radices ab Toloſa & Hiſpaniæ finibus vix vnius diei ſpàtio diſtans, cælo tenui nec inſalubri, meliori ac fœcundiori gleba, ciuibus vitio propinquis. Quippe tùm ob vicinitatem hæreticorum principum improbiſſimi quique Sectariorum ex aliis prouinciis cum ſe in angulum

angulum coniecerant, vrbemque propè adduxerant in periculum auitæ fidei deſerendæ proximum. Cui vt moras poneret Epiſcopus Robertus Pelleuæus Nicolai Ambianenſis frater multa præclarè pollicitus, cum Paſchaſio Broëto primorum Societatis IESV Patrum ſeptimo, Pariſijs egit, vt quod erat ibi Collegium aliquot è ſocietate lectis viris traderetur. Lecti atque ex Italia miſſi duce Ioanne Pelletario Theologiæ Doctore Emundus ac Ioannes Rogerius vir Philoſophiâ, atque Theologiâ apprimè inſtructus, Emundique vt dictum eſt, in poſtrema facultate Præceptor domeſticus, longè ſpinoſiori aditu, quàm Epiſcopus exiſtimabat, vrbem appulerunt. Vix enim pedem in ea fecerant, cum abſente Epiſcopo, ac Societatis homines cognoſcente, aut defendente nemine, hæretici, quorum magna pars vrbis conſilium erat, haudquaquam ignari genus hoc hominum non conuenire ſecum, ſuiſque non fauere partibus, peracto vrbis concilio, non modò Collegio excludunt, ſed omni vi modóque procul amandare conantur, cum palam priuatímque clamarent ſe Iuris ciuilis ac

Medicinæ magiſtros expectaſſe qui Iuuentutem iis diſciplinis imbuerent, non Cœnobitas ac Monachos quorum compertâ notâque deſidiâ, vrbs orbíſque grauaretur.

Subſtiterunt tamen conſtantes in anguſto tuguriolo, Chriſti præſepi, vt ſcribebat Augerius, haud abſimili, Patres cuiuſuis inclitæ Academiæ luce digniſſimi, atque in ſumma egeſtate rerum omnium frigidiſſimum anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimi octaui partem læti atque alacres tranſegerunt, conciones ad populum frequenter habendo, ac de omni Chriſtianorum officiorum ratione docendo, quando aliud non erat integrum. Quæ res illis apud Apamienſes talibus concionibus inſuetos famam ſcientiæ pietatíſque admirabilem peperit, viciníſque opidis eorum audiendorum cupiditatem accendit.

Nam eodem anno Fuxum (eſt oppidum ad Pyrenæos montes ſitum in ditione Regis Nauarræ) vocatus Augerius, rem Chriſtianam geſſit optimè, dum Apamiis domus ſatis ampla conducta eſt, è qua paulo poſt inuitis hæreticis docendi prodierunt initia. Anno enim

ſequenti habitâ in frequenti hominum concurſu pereleganti ab Emundo concione, patuerunt ſcholæ, quâ ſunt ita perterriti Apamienſium literatorum animi, vt, cum de Philoſophiâ & Oratoriâ facultate propoſitæ eſſent eo die quæſtiones ad celebriorem faciendum ſtudiorum ingreſſum; ex magno qui ſe ibi profitebantur eruditorum numero, nemo hiſcere contra auſus ſit, multò minus diſputare.

Ita Collegio datum exordium; quod etſi paucos tum habebat alumnos (vix enim ducentos numerabat) Eccleſiæ tamen fructus haud pœnitendos attulit. Ex illo enim adeóque ex Augerij diſciplina prodiit virtute ac doctrina præſtans Antiſtes Viennenſis Petrus Villarius, qui poſtea rei Catholicæ fuit oportunus, & Augerio præceptore nunquam deſiit gloriari. In vrbe autem viciníſque locis calamitoſiſſima atque afflictiſſima tempeſtate ab ſociis, præſertimque ab Augerio ea ſunt ad tuendam rem Catholicam adiumenta præſtita, vt non ſine diuino beneficio in ea loca veniſſe dicerentur.

Apud Ioan. Chenu in Chronologia Epiſcoporum Galliæ n. 105.

Fuxum verno ieiunio reuerſus tanto

Hiſtor. Soc. Iesv l. 3. nu. 80. ardore die paraſceues in adulterantes pietatem Chriſtóque Domino peius Hebræis illudentes, inuectus eſt, vt omnes ſublato inter lachrymas clamore Caluinum & omnium hæreticorum impia dogmata deteſtarentur. Apamiis, dum ſequenti anno per Quadrageſimam concionatur, hæreticos ſpargentes temerè ac perperam apud imperitum vulgus eum veneficiis vitiatum atque à mente derelictum, ita dicendo fregit vt illius ſapientiam quam obſcurare conabantur, illuſtriorem reddiderint ac populo cariorem; tam acriter fidentérque illorum errores coarguit, vt mille & amplius vel ab ruina cohibuerit, vel iam ſtratos erexerit, ciuitatémque omnem ne rebellaret in fide continuerit. Animo geſtienti ſemper & ad mortem comparato quam poſt lapidationem & frequentes calumnias quotidie illi minabantur.

CAPVT VI.

Turnone Rector creatus ſimul concionatur, ac Theologiam docet.

EOdem fere tempore, quo Apamiis Augerij clarebat nomen, Turnone

Societati Iesv Collegium hæreſis mater improba probam ſobolem parturiuit. Ludimagiſtri hæretici per temporum oportunitatem in eius ſcholas, quas in vrbe familiæ ac ditionis principe Cardinalis Turnonius iam ab anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo magno ære atque opere magnifico fundarat, irrepſerant: & veneno ſenſim in teneras ſcholaſticorum mentes inſtillato fœdis aduerſus Ioannem Pelliſſonium Gymnaſiarcham non vulgari virtute ac ſcientia virum ſeditionibus impleuerant. Quarum cum ipſemet teſtis extitiſſet dum Legatus à ſummo Pontifice ad Franciſcum Regem mitteretur, ſtomachatus fertur Collegij perturbatione Præſul Religioſiſſimus & animo futura præſagiente dixiſſe de Collegio ſe facturum horreum, vnde in ſumma annonæ cæleſtis penuria vicini omnes populi verâ & orthodoxâ doctrinâ nutrirentur.

Sach 2. p. hiſtoriæ Soc. Ieſu n. P. Ribadeneira in vita P. Laynij lib. 3. c. 4. Iacobus Gualterus in ſua Chronologia an. 1560.

Itaque ſtatim Vincentium Laureum hominem virtute ac ſapientiâ præſtantem (qui poſtea Montis-regalis Epiſcopus ac demùm Cardinalis fuit) ad Patrem Laynium dare litteras iubet, qui-

bus Cardinalem optare monebat, vt quoniam in Societatis vitæ ſanctimoniâ doctrinæque integritate multum præſidij poſitum exiſtimabat ad arcendam hæreſim, quæ iam ditionem ſuam accenderat Collegium committeretur; & ex ſociis operas ad hanc prouinciam maximè idoneos legeret mitterétque ad ſe huic prouinciæ præficiendos. Actæ ſunt ab Laynio Illuſtriſſimo Cardinali gratiæ, & ſimul electus eſt ad hoc munus Emundus, atque Apamiis (vnde paulo poſt ab hæreticis ſocietas deiecta eſt) Turnonem miſſus populi docendi atque ad pietatem formandi causâ dum Magiſtri ex vrbe ad Collegium inchoandum aduentarent.

Dies, quo vrbem attigit, Inuentioni ſanctæ Crucis ſacer erat, quod ei Crucis expectandæ atque perferendæ, non vanum omen extitit. Eſt Turno vrbs modica Rhodano imminens cincta vndique nobilibus oppidis, atque ad latè in Dei obſequium circunferendam induſtriam aptiſſimè collocata. Eò ſimul appulit, illicò dùm ſupellectili comparandæ ſocius intendit, & inſtruendo Collegio, cum ingenti admiratione ac emo-

lumento populi diuinum Præconem agit.

Oratione Patris mirum eſt quantum res Collegij proceſſerit, & quantum opinionis apud Turnonenſium animos ſocietas collegerit. Miſſionem, quam ſæpè à Cardinali poſtularat honeſtiſſimam obtinuit Gymnaſiarcha Peliſſonius; veteres Magiſtri ludi, nouis ſuccedendi facultatem præbuerunt. Die ſancti Ioannis Baptiſtæ natali cum omnes Collegæ aduenissent, doceri cæptum: Theologia ſuprema ac nobiliſſima ſcholarum pars cum explicatione rerum fidei apud hæreticos controuerſarum, Emundo præter conciones acceſſit, cæteræ facultates in alios diſtributæ.

Haud multò poſt cùm non ſolum in omni genere diſciplinarum excellens eſſet, & ad animos populi è ſuperiore loco tractandos iudicaretur, verum etiam ad negotia domeſtica & religioſam diſciplinam regendam indolem egregiam præ ſe ferret; Eleutherio Pontano Philoſophiæ ac Theologiæ Doctore qui Collegij Rector ab Laynio erat deſtinatus, in Montem-regalem cis Alpes remiſſo, primus Academiæ Turnonenſis

Rector creatus eſt. Ita pondus trium munerum, quæ ſingulis multùm occupandis ſatis eſſent, vnus ipſe fortiter ac generosè Dei causâ ſuſtinuit, ſuſtinuiſſétque diutius, niſi tumultus in Gallia ab hæreticis excitati obſtitiſſent, & ad maiora toleranda excreuiſſent, quibus eximiè prælusit, per diuini verbi ſacrum Aduentus & Quadrageſimæ tempus! Valentiæ eodem in tempore ſuſcepta tractatio ingenti omnium admiratione ac emolumento tam Catholicorum, quibus erat in pretio, quam Sectariorum qui mira capti dexteritate hominis, & facultate ſibi aptè conciliandi Gallorum ingenia non valebant ſe cohibere, quin apertè dicerent, nuſquam illi parem fore ſi quadrato pileo & ſuperpelliceo inter concionandum non vteretur, nec, quod ſummè optabant, mentem haberet Euangelio ſuo repugnantem. Fatebantur quoque exiguo illo ſpatio quo inſtituerat concionari centum circiter ex albo, in quo deſcripta habebant ſuorum nomina, ſibi delendos fuiſſe, quòd ad Papam (ſic enim loquebantur) reuertiſſent. At numerus eorum, qui quamquam non dederunt nomen, tamen

clam prolapſi iacebant, aut eorum qui iam iam caſuri nutabant, at confirmati & erecti ſunt , maior multis partibus fuit. Præterea circumiectis ex oppidis alij ſex, alij nouem, alij quatuordecim leucis illius excitati famâ, Valentiam ea tantùm cauſa permulti viri fœminæque venêre nobiles, vt puram ſincerámque doctrinam ex eo audirent; qui mox cùm ad ſuos remigraſſent, (adeò incenſi erant ipſi) domeſticos quique ſuos & populares inflammare cœperũt. Denique legationes multarum circa vrbium, aliæ ſuper alias Emundum ad ſe aduocantium certatim vrgebant, & Valentini Collegium Societatis moliebantur. Nempe diuina quædam vis apertè famulo Dei aderat, vt inter aſſiduos dicendi labores cum ſenas diebus ſingulis horas audiendis confeſſionibus, colloquiis aliàs priuatis ac diſputationibus daret, modicæ vir valetudinis, pondus tamen diei & æſtus non incommodè ferret. Notauit etiam capita quædam & in Meditationum diſtinxit formam, quibus poſſent quæ bono ſemini ſuperſeminabat inimicus homo zizania internoſci. Quæ capita cum inter eos qui plus ingenio va-

lebant diſtribuiſſet, ſanè apprimè efficacia ad confirmandos animos reperta ſunt.

CAPVT VII.

Valentiæ Cauarum ab hæreticis capitur, atque ab extremo diſcrimine diuinitùs liberatur.

P.Ribad. in vita P. Laynij lib. 3.c.3.

ENIMVERÒ tunc exorta ſunt luctuoſiſſima Galliæ tempora, ad quæ deſcribenda ſtylus omnis rei atrocitate cohorreſcit, Hugonoti (exitioſum ac funeſtum Galliæ nomen) vbique arma capere, mouere ſeditiones, Regi ac Principibus viris minas intentare, tendere inſidias, euertere oppida, occupare vrbes, ſpoliare templa, diſturbare ſanctorum Imagines ac per vicos raptare, Clericos ac Religioſos viros ad cædem quærere; Catholicos fidei defenſores impunè occidere, ſacras reliquias direptis thecis proculcare, comburere, ventis permittere atque vndis, denique omnia diuina humanáque iura violare. Quæ vt Catholicis omnibus inuſitatum mœrorem, ita ſociis fidei defenſoribus ſummum periculum pepererant. Apamiæ

vaſtatæ, proſcripti ſocij qui ibi reperti ſunt, Lugduni tantùm non eſt interfectus Poſſeuinus. Qui Turnone degebant, abſente Rectore, diſcedere coacti. Collegium Billomæum ſolum ſtetit ad palantium perfugium. Abſentiæ autem cauſa hæc fuit.

Valentiam per ſacrum Domini Aduentum (quo tempore quotidiana ad populum Gallis eſt vſitata tractatio) accerſitus, ita ſuâ dicendi facultate, Declamatorem hæreticum perculerat, vt clanculùm ad vitandam infamiam oculis ſe hominum furatus, Valentiâ profugerit. Ita Catholicos viri inter ſuos primarij conuerſione, in ſui amorem atque admirationem accenderat, vt ſummum in eo Religionis auitæ tuendæ præſidium poſitum eſſe arbitrarentur. Quare cum Hugonotorum fœda illa procella in eorum mœnia inclinaret, Sectarijque Augerio Turnonem ad res Collegij gerendas reuerſo inſolentiores euaderent, iterùm à Valentinis eſt ſummis precibus reuocatus, quod ei extremum penè attulit exitium.

Hiſtor. Societ. IESV p. 2 lib. 6. n. 57. &c. P. Ribad. ibidem.

Enimuerò tùm dolo ab hæreticis Valentia capta eſt cum aliis Delphinatus

vrbibus & Gondrino vrbis Gubernatore Catholico ex ædium feneſtra ſuſpenſo, cuſtos ouilis catholici in cuſtodiam conijcitur, donec ſupplicium publicum præpararetur. Statuitur in foro patibulum, & ad illud laqueo in collum inſerto, niſi quæ de Catholicâ fide prædicauerat, reuocaret, deducitur. Non is erat Emundus, vt mortem quamcumque Dei causâ ſuſceptam ignominioſam putaret. Itaque ſpectantibus ac mœrentibus Valentinis pari vultu atque oris dignitate qua ſuggeſtum ſolebat, ſcalam aſcendit. Nec modò quæ docuerat anteà non reuocat, ſed clara & conſtanti voce gratias Deo agit infinitas qui cò ſe vocaret, vbi ſanctiſſimæ Religionis caſtitatem non tantùm voce, ſed vitâ & ſanguine conteſtari poſſet; affirmans Deo propter innumera beneficia vitam omniáque iure deberi, & eius causâ infinitos cruciatus totidémque mortes non modò conſtanter, ſed etiam alacriter eſſe tolerandas. Quæ cum eo pietatis ſenſu diceret, vt Catholicis iuxtà atque hæreticis lachrymas cieret; vnde ſperanda minimè videbatur, inde ſalus affulſit.

Erat Augerius pro comitate, excellen-

tíque ingenio & doctrina non ſolùm Catholicis, ſed etiam hæreticorum multis charus; ac veluti ſe ipſe libenter vt eos ad pietatem conuerteret impendebat, ita illi viciſſim eius gratiam vt præuerterent ambiebant. Ergo Miniſtrorum quidam (ſunt qui Vireto nomen fuiſſe ad me ſcripſerunt, quocum poſtea Lugduni multùm acritérque pugnauit.) Ducem hæreticum adit, docétq; quanti ingenij, quantæ facultatis ille vir ſit; quàm ſe non inhumanũ præbeat, quantum accedere rebus ſuis momentum putet, ſi is accedat; differat paulìſper necem corporis, dum tentet animum expugnare hoc conſilio dilatum ſuſpendium.

Emundus in carcerem reuertitur, & Miniſtrorum caterua hinc minis, inde fallacibus officiis, ad hæc captionibus & præſtigiis armata conuolat; quorum ille & illecebroſa omnia, & formidoloſa, denique & captioſa non modò Catholici doctoris virili conſtantia repulit, ſed ipſos præterea ita vanis exuit armis, impleuitque veris, vt qui capturi venerant caperentur, nec iam tantâ in luce propoſitæ veritatis niſi improbæ vitæ ac

vitiatæ mentis pertinaciam obtinerent; ita Duci renunciant perſtare eum quidem in ſententia, ſed tamen non videri occidendum, vt veluti Paulus, ita Emundus nullo ſuadente hominum, per ſeſe reſipiſcat. Ille interim piâ Catholici hominis induſtriâ opportunum equum, & euadendi viam nactus, ſpes & manus impiorum eluſit, ſéque & Chriſti præcepto & Apoſtolico exemplo ad noua certamina reſeruauit, quorum ſola recordatio Robertum Claiſſonium primorum Societatis Patrum temporibus proximum, & multis in prouinciis vrbibúſque Galliæ, cùm docendi tùm dicendi gloria inclytum, ita vel quadriennio poſt, excitaſſe fertur ad eius imitandam virtutem, vt Antuerpiæ (vbi tempeſtate Geuſiorum rapinis, cædibus & ſacrilegiis valde infeſta Verbi Dei Præconem agebat) cum cerneret ſe iiſdem difficultatibus circumuentum quas Augerius Valentiæ fortiter exſorbuiſſet, forti excelſóq; animo ſecum meditans, quæ meminerat ab eo eſſe patrata ac tolerata, illius exemplo in omne ſe vitæ, mortíſque diſcrimen obtulerit, à quo etſi reipſa diuinæ erga ſe benignitatis,

Hiſtoria Societ. par 3. lib. 2. n. 48.

ope eſt exemptus, non tamen copioſa illa mercede deſtitutus, quæ in cælo eſt promiſſa bonæ & inflammatæ voluntati.

CAPVT VIII.

Apud Aruernos fidem conſeruat & auertit hoſtem.

VLTIMVM ac tutiſſimum perfugium elapſo de carcere ac poteſtate hæreticorum Billomum fuit, vetuſtiſſimum apud Aruernos Societatis IESV in Gallia Collegium: ſiquidem iam ab anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto ſuperſtite adhuc Beato Ignatio cœptum eſt, quo Turnonenſes quoque Collegas omnes ſe recepiſſe ingenti animi voluptate comperit. Verum quia non vitæ conſeruandæ, ſed proximorum ſalutis cauſa, iterùm pugnaturus aufugerat, continuo inter Aruernos diuinam rem tractare aggreſſus, multa quoque præclara effecit.

Nam præter ſpirituales fructus ex confeſſionibus, concionibus, familiarique conſuetudine collectos, quos recenſere nemo poſſit, in ipſis etiam hoſtibus repellendis, qui Aruerniam circunſtabant

Hiſtor. Societ. par. 2. lib. 6. n. 87. & ſeq.

& iam prope in eam ſeſe infuderant, vix dici queat quantum laborauerit, ac perfecerit, tùm Principibus viris Magiſtratibuſque monendis & cohortandis, tùm precationibus publicè priuatimque, ac ſupplicationibus inſtituendis. Claromonte primùm totius ditionis metropoli dies multos, magna frequentia & plauſu conciones habuit; deinde furentibus circumquaque hoſtibus Billomum reuerſus, plebem ad quadraginta horarum precationem, rem nondum iſtic viſam inuitauit, & publica ſupplicatione inchoauit, abſoluitque, eundem quoque orandi modum Claromonte & Riomi inſtituens, maiori populi & nobilium frequentia, vberiorique fructu. Nam vtraque in vrbe plerique ab hæreſi ad fidem Catholicam ſunt conuerſi, & in poſteriori, in qua eſt commoratus diutius, quotidianis concionibus & confeſſionibus ſic ſummorum infirmorúmque voluntates ſibi deuinxit, vt inde ſe excitare ac expedire vix potuerit.

Iſidorum quoque, quod viginti quinque annis & amplius hæreticorum receptaculum fuerat, & recèns à Catholicis captum occupatúmque vocatus à

Prorege,

Prorege, tantum intra quinque circiter hebdomadas concionibus aliiſque quibus potuit rationibus effecit, vt mille & quingenti abiurata hæreſi, Catholicam fidem profeſſi ſint: cúmque nonnulli morti eſſent adiudicati, tantum eos hortando, monendo, & ad extremum vſque ſpiritum comitando, apud eos valuit, vt palam pro ſe orari, ac vita functos Catholico ritu ſepeliri obnixè poſtularent.

Supplicatio etiam cum publica oratione ibidem eſt inſtituta, cuius tempore tota propè ciuitas ſanctiſſimæ Euchariſtiæ communione eſt donata; libri hæreticorũ quamplurimi combuſti, Emundo ſic omni occupationum genere oppreſſo vt reficiendo corpori otium deeſſet rogantibus omnibus in diſceſſu, ac flagitantibus enixè vt ſeſe prope diem & maximè Aduentus & Quadrageſimæ tempore reuiſeret. Inuiſit præterea, præbitáq; ſibi à Deo dicendi facultate iuuit alias aliquot vrbes, Montem-ferratum, Curtam Petram, & Marengas vnde miniſtrum ſola ſui aduentus fama fugauit.

Quæ omnia cùm à minoribus vrbium Præfectis ad ſupremum Prouinciæ Gu-

C

bernatorem ſedulò præſcripta ſint, nulla prope Galliæ portio, nullus aulæ Regiæ angulus, nullus eorum qui rebus præſunt vel ſacris vel profanis, apud quos Societatis atque Emundi nomen non innoteſcat, valeátque quamplurimùm. Senſus omnium communis & vox eſt diuina Dei erga Aruernates benignitate factum eſſe, vt ereptus Delphinatibus hæreticis in Aruerniam venerit, vt ſuis laboribus, vigiliis, & ingenti cura omnium ſalutem & tranquillitatem defenderet, nullam in rem magis intentus, hoc etiam tempore, quo fama eſt Viennam & Valentiam in manus Catholicorum reuerſus, quàm vt eas reuiſat, conſoletur, & quæ ſuo Turnonenſi Collegio reſtituendo ſunt idonea prouideat.

Illud quoque conſtitutum eſt & recens introductum eodem tempore, tùm Billomi, tùm aliis in vrbibus præcipuis, vt poſt Veſperas diei Dominicæ, ſanctiſſimum Chriſti corpus ad altare maximum maximi templi ſolenni ceremoniâ populo oſtendatur, & per templum ſupplicationis in modum circumlatum ad ſedem referatur ſuam, populo quamplurimo, quantáque dici poſſit maxima

pietate aſſiſtente. Denique, vt ſemel omnia dicam, vix ibi quidquam vel inter Catholicos, vel apud hæreticos tentauit, quod non facillimè perfecerit.

CAPVT IX.

Lugduni ſacrificium Miſſæ vno anno intermiſſum primus celebrat, pacem Catholicos inter & hæreticos firmat oratione & prudentiâ.

HÆc dum geruntur in Aruernia, Lugdunum in quod perduelles eandem vaſtitatem atque horrorem, quem in alias Galliæ ciuitates inuexerant, Chriſtianiſſimo Regi redditum. Redierunt in vrbem Catholici, qui hæreticorũ omnia in vrbe pro libidine moderantium furori ceſſerant. Templa, in quibus indigniſſima quæque perpetrata fuerant, reuiſi cœpta: quæ cum horrore ac tenebris pleniſſima reperta fuiſſent, quibuſdam Comitibus ſancti Ioannis (ita Lugduni Canonici primarij templi nominantur) ab iniuriis, quæ per hæreticos illatæ fuerant, placuit repurgari, ac ſacroſanctæ Miſſæ ſacrificio concionéq;

Hiſtor. Soc. IESV par. 2. lib. 7. n. 58. P. Ribad. in vita P. Iacobi Laynilij. D'Vrbius in hiſtoria vrbe Lugdunenſis cap. 58.

habitâ ritu Catholico veluti denuò conſecrari.

Dies ſumpta decima & octaua Iunij, quæ fortè in Dominicam incidebat, & ad Concionem habendam Viennâ, vbi tùm Turnonenſis Collegij res curabat, Emundus eſt accerſitus. Fuerat ampliùs anno Lugduni ſacrarum rerum vaſtitas & miſera ſolitudo, direpta & clauſa templa, ſublatum ſacrificium, nulli ſuggeſtus, nulla reliqua facies pietatis. Itaque vbi dies illuxit & patefactæ templi auguſtioris Valuæ, vbi rupto ſilentio campanæ feſto crepare Sono ſunt auditæ, veluti ſi tùm renaſcentis fidei Catholicæ celebritas ageretur, tanta confluxit populi vis, quanta vnquam antè in eo ampliſſimo templo conſpecta fuerat.

Inchoatum iuſſu Marchionis à Villa veteri ab Emundo ſacrum, poſtq; recitatum Euangelium, incepit, vt tempus poſtulabat ex occaſione verborũ Euangelij, (Eſtote miſericordes) populum adhortari, vt quando Deus vſus miſericordiâ cum ipſis erat, redditâ pace, ipſi pariter inuicem miſericordiâ vterentur, iniurias vltrò citróque illatas obliuione ſempiternâ obruerẽt; Religionem haud

poſſe per vim in hominum pectora intrudi, arma relinquerent Magiſtratibus, conſuetudinem inter ciues de rebus ciuilibus eſſe oportere. Quod pertinet ad Religionem, iis licere de capitibus loqui, in quibus pars vtraque conueniret; reliqua Deo Concilióque relinquenda. His &c adiectis ad extremam dictionem precibus incredibili motu affecta eſt vniuerſa concio, & principibus, qui antè verebantur ne recentia vulnera æſtu fortè nimio abreptus Emundus attrectans exulceraret, ita orationis temperamentum placuit, vt arctiſſimè eum complexi, ſine vllo modo gratularentur, iidémque præcipuos ſectariorum admonerent, vt modeſtiam ex Emundo diſcentes apud ſuos eiuſmodi adhortationibus vterentur. Quis deinde ſecundùm ſacrum populi ad contingendas ſacerdotum veſtes concurſus fuerit, quis ad exoſculandum altare, qui gemitus, quæ manuum in cælum ſublatio, quæ lachrymæ, teſtatur Emundus neminem fingere ſibi in animo poſſe, qui oculis non acceperit. Interfuere multi ex Aduerſariis, quorum qui ſimpliciùs errabant, non poterant in tam communi ſenſu non commoueri.

Cæteri quamuis odio rumperentur, & plurimùm minarum antè iactaſſent, nihil tamen auſi nouare. Ita continuauit quotidie ad populum verba Emundus, quem ad audiendum viginti hominum millia dicuntur interdum confluxiſſe.

Cis Ararim primò, deinde trans flumen compoſitæ res ſunt, quam ad rem mirum in modum populi animos ſapientibus actionibus quas habuit in æde ſancti Nicetij, præparauit; quem ſine vlla quiete hùc aſſiduè atque illuc, vt cuique templo & Parochiæ diuinus cultus reſtituebatur ad ornanda initia religioſæ vocis officio accerſebant. Aiebat experimentis ſibi eſſe deprehenſum, Chriſtianam modeſtiam ad hæreticos in viam reuocandos eſſe viam aptiſſimam; eiuſque rei cauſas præcipuè duas afferebat. Primam quod hæreticorum Magiſtri cum intemperantiſſimi & lingua & manu fuiſſent, inuidiam ſibi ex petulantia & importunitate & apud Catholicos & apud ſuos creaſſent. Nam verbum Dei tametſi ardens eſt, zelum tamen habere ſapientiâ temperatum. Alteram quòd hæretici fermè ſuperbi ſint, quare concioni modeſtæ ac doctæ, non difficulter

adduci vt aures præbeant. Etſi contemnantur, vel fugere omnino docentem, vel ſi audiant, animis irâ atque odio obſeptis nullum ſanæ doctrinæ excipiendæ apud ſe locum relinquere.

Vt teneræ ætati rudibuſque conſuleretur, cum plena omnia hæreticis Catechiſmis eſſent, eodem tempore concinnauit, euulgauitque Catechiſmum, qui opportuniſſimus fuit, vernaculâ primùm linguâ, deinde latinâ & græcâ. Extat adhuc & multorum manibus teritur, eiúſque lectione plurimi vel in fide Catholica nutantes firmati, vel ad eam ab hæreſi reducti ſunt.

CAPVT X.

Periclitatur Lugduni & ſuis laboribus famam apud eos excellentem amorémque Caroli Galliæ Regis ſibi conciliat.

FAMA deinde interfectum per vrbem ac circumiecta loca detulit, falsò quidem rumore, non tamen vana cauſa fuit, quod eum hæretici adhuc in vrbe numero & auctoritate Catholicis ſuperiores ſua caſtra per eum ac Poſſeuinum (qui ſocius aduenerat) quotidie

Lutetia venientibus nobis multis locis nuntiatum eſt interfectum eſſe P. Emundũ quod Catholicis ſũ-

m̄o erat dolori propter inſignem fructum quem Lugduni afferebat. Fran. Sachinus par. 2. hiſt. Societ. an. 1563.

diminui cernerent, ſuas fraudes oſtendi, errores coargui, debilitari vires, conſilium de eo tollendo ſumpſiſſent, & ad exequendum facinus è ſuo grege homines certis locis diſpoſuiſſent, qui ex occultis rimis in prætereuntem ſclopeta diſploderent. Sed eum qui de mortis faucibus Valentiæ eripuerat Deus, Catholicorum cura ex ijs quoque inſidiis incolumem ſeruauit. Dati ſunt à Principibus armati milites, quorum præſidio deduci quocumque opus eſſet, reducique volebant. Itaque eius ſecuritati conſultum eſt. Quamquam is erat Lugdunenſium omnium in eum amor, vt aliâ cuſtodiâ non opus eſſet, multis ab eius latere diu noctúque non diſcedentibus.

Poſſeuinus hoſtium fidei impetus Lugduni imprimis ſuſtinuit concionandò diſputādò, ſcribendò adeo vt vna die capitis periculum adiegit. Biblio-

Vulgares erant omnium voces, illi ac Poſſeuino deberi vrbis ſalutem ac Religionem; poſt quadringentos annos nunquam audiſſe quenquam ſicut Emundus vbique audiret, accidítque deinde, vt cùm à Toloſatibus ad primordia ſui Collegij ſummè optaretur, nullo modo Lugdunenſibus eripi potuerit, apud Magiſtratus ſeparatim, & publicè apud omnes ordines vociferantibus, eo ab-

eunte collapſuram penitùs religionem; neceſſarium prorſus eſſe aduerſus Vireti Miniſtri fallacias; ſe, ſi diſcederet, cum eo quoque migraturos. Quæ non modo in ea prouincia iactabantur, ſed circumquaque per omnem Galliam ſpargebantur, ita vt ijs plena Lutetia, plenus ſenatus Pariſienſis, pleni eſſent alij ordines, Carolus Rex Chriſtianiſſimus imbueretur; Qui cum Lugdunum ad res huius vrbis ſtatuendas anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto veniſſet, vbi eſt ab Emundo ſalutatus, non dubitauit, de ſuſceptis pro religione laboribus gratias agere, & ad nouos incitans in eius amplexum, ſeu parentis chariſſimi ruere; quâ mercede poſt eam, quæ Sanctis hominibus paratur, haud ſcio an quiſquam ſuis laboribus locupletiorem rependi velit. Hinc ſtudium Regis in eum, quod poſteà ſummum fuit, exortum eſt, hinc erupit odor virtutum incredibilis, qui principibus viris ac Dynaſtis omnibus charum reddidit, & ſociis admirandum, audientibus labores quos perferebat.

Oliuarius Manaræus Commiſſarij poteſtate Galliam luſtrans cùm Lugdu-

theca Soc. Iesv in verbo Poſſeuinus.

Hiſtoria Societatis parte 2. lib. 8. n. 76. & 80.

Incredibilis eſt odor qui per Galliam eius optimi patris ſpargitur. Plena eſt Lutetia plenus Senatus Pari-

ſiſſis, pleni ordines alij. Manaræus apud Sachinum p. 2 Hiſt. Soc. IESV.

num veniſſet, atque eorum quæ auditione acceperat, teſtis factus fuiſſet, vidiſſet eum diebus feſtis ſemel ac iterum, cæteris ſemel, contentione magnâ perdiúque dicentem præter alias nunquam interruptas reſpondendi, conſolandi, diſputandi, ſcribendique occaſiones, humanis maiora viribus iudicauit, ea quæ faceret, & vt ſibi temperaret admonuit, vix animo comprehendens, qua ratione ab homine non admodùm robuſto, tam varia támque difficilia tanto tempore, tanta omnium commendatione ac fructu, ſine aliquo ſingulari ac inuſitato Numinis auxilio geri poſſent. Ipſe quoque ſibi ſtupori erat; nec deſinebat humilis & gratus pater diuinam miſericordiam admirari, cui placeret ſuam vnius homunculi operam ita reſpicere, eâque ad hominum tot millia ab errore deducenda vti.

CAPVT XI.

Lugdunenſes in peſte iuuat.

AVGEBATVR in dies Catholicorum in vrbe numerus Augerio pertinaci atque indefeſſo ſtudio in Lug-

dunenſium ſalutem incumbente ; cremabantur quotidie libri hæreſim continentes prope innumeri, Eccleſiæ deſertæ priùs, ac contaminatæ, reuocato priſtinò cultu frequentabantur. Fama eſt locupleti multorum hominum autoritate firmata quadraginta capitum millia cenſu fuiſſe eorum qui hæreticam prauitatem cum fide orthodoxa circa hæc tempora commutarint. Iacturam quamquam diſſimulare conabantur, ſenſerunt tamen acriter Eccleſiæ hoſtes reſidui, atque ſuæ ruinæ indoluerunt. Sed cùm diminutis caſtris & audaciâ coercitâ vi ampliùs apertâ leones agere non poſſent, ad occultas vulpeculæ artes more hæreticorum peruetuſto confugiunt. Conſilium capiunt ſane ſibi percommodum, & omnibus Catholicis exitiale ſi optatum exitum reperiſſet.

Peſtis Geneuam populabatur, cùm inde merces Lugdunum allatę ex templò totam vrbem miſeranda clade compleuerunt : non tamen eodem omninò euentu quem eius autores cupiebant. Quippe animaduerſum eſt in ipſos potiſſimùm hæreticos incubuiſſe luem, quâ fortaſſe operâ triticum eradicare tenta-

Hiſt. Soc. IESV lib. 7. n. 57. & lib. 8. n. 81. 82.

P. Ribadeneira in vita P. Layneſij lib. 3. c. 3. ſub finem.

uerant, Deo zizania ad comburendum in faſciculos colligente. Ergo mirari ſubitò ciues ſe ex improuiſo paſſim cruciari, languere, confici, ſcelus aliquod fraudémque ſubodorati ſunt. Quæ vbi patuit, tantus vbique tumultus exortus eſt, tanta comploratio, quanta in tam præſenti periculo & tam immani ſcelere quiſque facilè cogitare poteſt. Opulentiores quibus in circumiectis agris domus erant, ſuæ ſaluti tempeſtiuâ fugâ conſuluerunt. At plebs infima quæ iis carebat auxiliis domi in grabatis ægra membra per compita trahere, deſtituta quæſtu quotidiano fame peſteque interire.

Quis pro rei dignitate explicet, quid in tali temporis neceſſitate Augerius, qui paulò antè tam multa pro animorum ſalute ſuſceperat, nunc pro corporis & animi incolumitate perfecerit, ad quæ officia deſcenderit, quæ adierit diſcrimina, quàm inſignia perfectæ charitatis argumenta ediderit; Tota penè ciuitas in agros diſſipata, aut in noſochomiis ægra morabatur, Paſtoribus orbata, atque vitæ tàm ſpiritalis quam corporalis ſolatiis deſtituta. Nonnulli iam vi morbi

abſumpti fuerant, alij proximè ſequebantur, cùm ille ſui immemor boni paſtoris exemplo, caput in medium diſcrimen obiicit. Suſtinere vnus omnia putabatur à Lugdunenſibus, non diuina modò ægris, ſed humana quoque auxilia ex piorum liberalitate ſubminiſtrans, idem confirmans conſolanſque incolumes, idem ægros docens & expians, mortuorum demùm conſulens ſepulturæ, cum omnium incredibili approbatione & grata admurmuratione. Hiſt. Soc. par. 2. lib. 8. n. 81.

Manè res diuinas per horam meditatus, & ſacerdotali penſo ritè perſoluto, cellas eorum, qui peſte laborabant diligenter obibat, vnumquemque confirmans, monénſque vt peccata per ſalutarem pœnitentiam expiaret, ſingulorum prætereà morbum diligenter explorabat, neceſſaria ad victum & ſanitatem cuique præſcribens. Deinde ſacro Miſſæ ſacrificio celebrato, confitentibus ægrotis aures dabat, moribundis ad extremum agonem præparatis porrigebat viaticum, mortuorum cadauera ne inſepulta iacerent curabat, concionabatur bis térue quotidie. A prandio verò

in vrbem reuertens ac Noſocomia pari modo perluſtrans,ſtipem oſtiatim emendicabat, vocabat Medicos, pharmaca, veſtes, alimenta coëmebat, aut parata præbitáque in locum ſtatutum deferri curabat, quæ poſtea in ſingulos pro cuiuſque vſu & neceſſitate diſtribueret.

Accedebat rudium ac puerorum catechesis quotidiana, & eorum, qui naſcebantur luſtratio baptiſmalis, quæ vix cibi capiendi nocte concubiâ tempus vllum concedebant. Quin etiam nox ita ſæpe conſolandis atque ad mortem præparandis ægrotis inſumebatur, vt miraculo perſimile videri poſſit, quod tantis laboribus non ſuccumberet ipſe, aut peſte vndique circumſeptus intactus ſemper atque illæſus permaneret. Sed illum Deus optimus Maximus ad eadem ſubſidia Lugdunenſibus iterum præſtanda reſeruabat, quorum hîc non eſt omittenda in afflictos ciues ſuos curandos conſeruandóſq; effuſa liberalitas, quam eò deueniſſe notatum eſt, vt octoginta aureorum millia ſuperaret.

Non tamen liberalitate illâ, aut Patris vigilantiſſimi laboribus vſque adeò malum repreſſum eſt, vt ſecum improba

lues ſexaginta hominum millia non ſuſtulerit, cui tamen fugandæ depellendæque plurimùm profuit votum Anicienſi virgini nominè vrbis ab Emundo conceptum, quo poſtea ciuitatem ampliſſimè liberauit. Durbius hiſtoriæ Lugdunenſis c. 59.

Dici non facilè poteſt quantam opinionem ſanctitatis optimo Patri & collectum à Lugdunenſibus amorem autoritatémque hæc tam profuſa charitas auxerit. Actæ ſunt illi tanquam patriæ parenti, conſeruatori fidei, & ſalutis publicæ Reſtitutori gratiæ ampliſſimæ, tanto quorundam in eum ſtudio, vt illius monimentum ære publico curari poſtularent. Charitatis verò tam luculenta apud omnes approbatio, vt vel ab hæreticis quorum multos hac in parte ſibi deuinxerat, laudaretur: à Catholicis autem vulgò Pater ſanctus vocaretur, & huic nomini pares honores acciperet. Epiſtola extat, quâ, mitigatâ peſtilentiâ ſuperſtites conſolatur, & ad generosè Chriſtianéque oppetendum hortatur, ſi fortè eo morbo extingui contingat, ego eam, ne hiſtoriæ curſum interpellaret in extremum librum reiiciendam puſaui.

CAPVT XII.

Poſt edita ſolemnia Profeſſorum Societatis vota, primus Aquitaniæ Prouincialis creatur, & Lugduni Collegium conſtituit.

EX tot rebus præclarè ab Emundo geſtis facilè quiuis intelligit, quàm illæ virtutes, quas ſanctus Ignatius ab Societatis IESV profeſſis requirit, in eo perfectè eminerent. Tamen ità de ſe modeſtè ac demiſsè ſentiebat, vt cùm omnes hunc in Societate locum cum ſumma dignitate poſſe ſuſtinere arbitrarentur, eó ſe penitùs indignum putaret. Quare, cum ab Oliuario Manaræo de profeſſione ſolenni quatuor votorum edenda eſſet admonitus, recuſauit pro virili, quòd ſe ab ea ſanctitate longiſſimè remotum crederet, quam Profeſſorum gradus ex Societatis Conſtitutionibus poſtulat, ſpatiúmque ſibi dari rogauit, quò ſuam mentem Laynio Generali aperiret. Non dubium eſt, quin multis ab eo hunc honorem fuerit deprecatus; ſed quò magis eo ſe munere indignum

conatus

conatus eſt oſtendere, eo Laynius digniorem iudicauit.

Itaque ſeptimo Kalendas Februarij anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi quarti, quo ſe in peſtilentiâ laborantium deuouit, iuſſus eſt publicè ac ſolemniter apud Oliuerium profiteri. Sub Autumnum cùm Collegiorum in dies numerus augeretur, duas in Prouincias Gallia diuiſa eſt, quarum vni Aquitaniæ, alteri Franciæ nomen inditum. Aquitaniæ Toloſanum, Rutenenſe, Turnonenſe, quæque Lugduni, Auenione & Camberij ſperabantur Collegia attributa. Francia complexa eſt Pariſienſe, Billomæum, Mauriacenſe, quódque Virduni inſtituebatur. Oliuerio huius adminiſtratio remanſit; illius Prouincialis Emundus eſt conſtitutus, quo in munere ſtatim ad Collegium Lugduni conſtituendum curam vertit, quòd id tùm ad roborandum Catholicorum pietatem ſalutare, tùm ad iuuentutem quæ corrumpebatur à Magiſtris, rectè inſtituendam prorsùs neceſſarium iudicaret.

Fr. Sachinus 2. parte Hiſtor. Soc. Iesv lib. 8. n. 75.

Gymnaſium quidem erat in vrbe ſatis amplum & ab ære publico locuples, cui à Trinitate nomen. Sed qui Præfectus

erat, homo vafer & egregiè ouina pelle lupum tegere doctus, diſcipulorum quos hæreſi perdiderat, ita docendo collegerat animos, vt eorum authoritate quæ iam in vrbe metuenda erat, ad confirmandam inſaniam nequitiamque abuteretur. Sic nemo illi reſiſtere, nemo loco (etſi erat, id magnopere expetendum) deturbare audebat; fouentibus eius ſtudia veteribus diſcipulis, atque illius audaciæ patrocinantibus. At quod humana vi difficile fieri poterat, diuinâ vlciſcente manu factum.

P. Ribadeneira lib. 3. vitæ P. Iacobi Laynez cap. 4. D'vrbius hiſtoriæ Lugd. cap. 56 vbi ait ex manibus Sacerdotis vi ereptum Corpus Chriſti & pedibus cóculcatum.

Supplicatio Lugduni de more inſtituta anniuerſario ſanctiſſimæ Euchariſtiæ die feſto: Sacerdos qui hoſtiam manibus geſtabat, domum illius prætergreſſus lapide petitus eſt. Creditum ex illius ædibus qui pridem malè audiret, ſcelus eſſe profectum. Quare extemplò accurrunt ciues, nec opinantem vt tanti ſacrilegij Architectum iugulant, cæteris qui in ea reperti ſunt in cuſtodiam, ac demùm in furcam deductis. Ità iniuria quæ & Sacerdoti & Chriſto illata fuerat vindicata, & Collegium peſtilenti Magiſtrorum doctrina purgatum, Prouinciali Emundo permiſſum eſt ſalubriori-

busaquis irrigandum; Antonij Albonij Archiepiſcopi, & omnium Catholicorum Ciuium communibus votis, quibus vni duntaxat obſtabant Hugonotti, principio negantes Collegium publicum, quo vniuerſis commune eſſe oporteret, ciuiumque nouæ iuxta ac veteri religioni patere, ſine alteriùs partis iniuria tradi poſſe hominibus, quos conſtaret nouæ hoſtes implacabiles eſſe; deinde cum iſta cernerent non audiri; poſtulantes, vt ſi contra ius fáſque ab externis occupari vis cogeret, ſaltem id non niſi ad tempus, & ad Senatus arbitrium fieret, quo de Ieſuitàrum fide & conſtantia cognoſceretur, & caperetur experimentum. Quod cùm non diſplicuiſſet omnibus mox Augerius Collegij poſſeſſionem adiuit, & in eo collocauit aliquot de ſociis interim manſuris, dum ex Congregatione generali ad quam Româ vocabatur certiora ipſe referret de voluntate Papæ, Cardinalium, & aliorum Societatis Moderatorum, ad quos iam Lugduno ſcriptum erat, vt oſtendunt ſummi Pontificis literæ anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto datæ ad Lugdunenſes, quorum Epiſtolas pro-

tranſigendo negotio Emundus ad noui Generalis electionem proficiſcens Romam detulerat, quæ ita habent & eo qui ſequitur tenore à P. Iacobo Gualteto in ſua Chronologia referuntur.

PIVS PAPA QVARTVS *Dilectiſſimis filijs Coſſ. & Conſiliarijs Ciuitatis Lugdunenſis.*

DIlecti filij, ſalutem, &c. Ex literis veſtris quas ad nos dilectus filius Emundus Societatis IESV profeſſus attulit, & ex eius ſermone lubentiſſimè intelleximus, quanta ſedem Apoſtolicam deuotione & pietate proſequimini, & quantâ curâ tueri ſtudetis in veſtra patria fidem ac Religionem Catholicam. Agimus maximas Deo gratias, qui iſtam deuotionis conſtantiam & tam piam Vobis erga ciues veſtros voluntatem dedit, eundem humiliter orantes, vt ſancti ſui Spiritus gratiâ eorum qui de ciuibus veſtris mentes illuminare dignetur, qui inducti deceptíque à fide Catholica & vnitate Eccleſiæ receſſerunt, vt omni diſſenſione ſublatâ, ſancta illa ſalutaríſque in ciuitate

veſtra, in fidei Catholicæ cultu concordia vigeat, quæ ante hæc miſera & turbulenta tempora viguit, quæque non ſolum ſaluti animarum, ſed etiam rectæ ciuilium adminiſtrationi neceſſaria eſt. Sanè conſilium veſtrum de illius Collegij veſtri curâ atque regimine Societatis IESV Profeſſoribus committendo vehementer laudamus. Eius enim Societatis Sacerdotes & aliis in locis vbicumque ſint eorum domus, atque Collegia ad ſalutem animarum diligenter incumbere, nec minus exemplo vitæ, quàm verbo proficere quotidiè audimus, & in hac alma vrbe experimur. Quò lubentius nos quoque eius potiſſimum Societatis Seminarium à nobis iuxta ſacri Tridentini Concilij decretum, nuper hic inſtitutum regendum commiſimus. Quia verò tenues eſſe reditus illius Collegij ſcribitis, nos ſi qua facultas oblata nobis fuerit eorum honeſtè augendorum, deſiderio veſtro ſatisfacere curabimus, ſicut ipſe nobis Emundus referet. Datum Romæ apud ſanctum Marcum die 15. Auguſti, anno 1565. anno ſexto Pontificatus noſtri.

Antonius Florabellus Lauellinus.

Porrò his inſtructus literis cum Lugdunum reuertiſſet, expeditis omnibus quæ in eius abſentia, ortæ fuerant difficultatibus, Collegio bene conſtituto, Guillelmum Crittonium ex Hamiltonia Scotorum gente, primum Rectorem præfecit, & Româ ſecum adductum Petrum Perpinianum, oratione quæ exſtat de retinenda veteri Religione, iuſſit præludere, coram honeſtiſſimo Albonij Antiſtis, Mandeloti, Prætoris, Senatus, Cleri, totiuſque nobilitatis conſeſſu, cui deinde accedens ter in hebdomada explicatio ſexti capitis Euangelij ſancti Ioannis, æquali cum auditorum dignitate & frequentia, totam ciuitatem incredibili lætitia profectúque compleuit. Augerio interim Toloſam, excito, per crebras multorum Ciuium epiſtolas, vbi ſummos æquè & infimos ad ſe concionando vertens, ita omnium animos in antiquæ fidei profeſſione confirmauit, & accendit; vt qui ſceleratus hæreticorum furor propinquas iam vrbes oppidáque vicina, cæde incendióque ſacrilegè confecerat, nullum ad eam aditum potuerit reperire.

CAPVT XIII.

Ab vrbe Lugdunenſi pericula amolitur, ac ſancti Irenæi Lugdunenſis Epiſcopi reliquias quæ putabantur exuſtæ, eidem poſt multos annos reſtitui curat.

ARx Vrbi tuendæ ab Rege Carolo conſtructa fuerat, eique gubernandæ cum præſidio militum Biraguæus acerrimus hoſtis hæreticorum præfectus. In hanc tamen Sectarij per occultos cuniculos irrumpere atque inuadere nitebantur. Iámque conatus propinquum exitum habebat, cùm illum tempori odoratus Turnone, vbi tunc erat Augerius aduolat ad præfectum, periculum exponit, metuendi cauſas explicat, vigilantiæ admonet, ſuadet pro ſalute vrbis maturè in eorum ædes, qui ſuſpicionem afferebant, militem introducat, vt malum quod interius lateret patefactâ feneſtrâ in lucem citiùs erumperet. Fidem adhibet Augerio Biraguæus, homines armatos ad eorum domos, à quibus periculum metuebatur, cum publicâ authoritate mittit; ſuſpicioni fidem attu-

D'Vrbius Lugd. hiſt. cap. 67. ad annũ 1567.

lit euentus : qui enim iuſſi erant perquiſitis diligenter abditiſſimis ædiuḿ partibus apud quaſdam latentes milites, alibi arma diſpoſita; In Miniſtri verò ſecretiori lare expeditam è Cannabe reſtium multitudinem inueniunt; quibus, vt ex reperto ibidèm interficiendorum catalogo intellectum eſt, Emundo primum, deinde cæteris Religionis Catholicæ in vrbe defenſoribus funeſtum interitum adferre decreuerant; ſi iterum Vrbis ac rerum potiri cõtingeret. Atque hoc vrbe mediâ, quod ſequitur, vt facilius oculos aureſque fugeret, foris geſtum Matiſcone (oppidum eſt, quod leucis decem ab Lugduno diſſidet) aliud ſcelus adornabant hæretici aduerſus eandem ciuitatem imprudentibus Catholicis omnibus, nihilque tale de propinqua & amica vrbe ſuſpicantibus, deſcriptæ iam erant turmæ, expedita armatorum manus, ſcalæ ad ſuperandum murum paratæ, loca exſcenſioni cuilibet aſſignata, moniti ſceleris in vrbe ſocij, præmiſſa conficiendi auxilia, Duces euocati, ſumpta hora noctis concubiæ media, pro ſigno rei aggrediendæ datus horologij Diui Nicetij ſonus, quo pulſante me-

diam noctem omnes eodem tempore ex diuerſis vrbis partibus murum inuaderent.

Actum erat oppido, niſi Lanio cuidam conſilij patefaciendi voluntatem in animum Tutelaris vrbis Genius inieciſſet, is enim ſiue perdendæ ciuitatis metu, ſiue facinoris magnitudine perterritus incitatiſſimo curſu, paulo antequàm portæ iungerentur appellens ad Vrbem, rectà ad Emundum curſum dirigit, ac probè de re tota doctum monet, vti periclitanti ciuitati ac Religioni pro ſua charitate & prudentia prouideat. D'Vrbius ibidem.

Vix quatuor horæ vſque ad gerendæ rei tempus ſuperabant, (quod erat ad capiendum de re tanta conſilium ſalutare ſanè perexiguum) nullâ interpoſitâ morâ hominem ad vrbis Gubernatorem ſilentio deducit, rei prorſus inexpectatæ nouitate attonitum, & in auertendo periculo his præſertim temporis anguſtiis multum anxiéque deſudantem. Vbi tamen rationi aliquis & conſilio locus fuit, conſtitutum eſt, ad tumultum vitandum, qui talibus occaſionibus nocumento eſſe ſolet, vt paucis è Catholicorum numero monitis, quidam cum ar-

mis in locis omnibus diſponerentur vnde exſcenſio facienda erat, qui hoſtes incautos atque imprudentes in deſcenſu opprimerent. Sapiens ſanè ac ſalutare conſilium, ſed quod tam breui tempore, támque diſtractis à ſe inuicem inſidiarum locis, nec ita expedita tunc armatorum manu, perfici difficulter poſſet.

Miſſi tamen in diuerſa murorum loca ſubſeſſores nonnulli cum armis: Emundus incautos obſeruandi fallendíq; prouinciam ſibi depoſcit. Didicerat ſignum inchoando facinori ab mediæ noctis pulſu horologij Diui Nicetij expectandum. Igitur è veſtigio cùm omnibus ciuitatis horologiorum Rectoribus agit ſedulò vt tota nocte confuſo ac perturbato horarum ſtrepitu horologia ducerentur, illud verò quod eſt Diui Nicetij, ſono penitus abſtineret, quod ſanè prudenter atque ingenioſè factum eſſe ſequens docuit euentus. Cùm enim condictâ horâ hoſtes ad vrbem veniſſent expectato diu, ſed incaſsûm, irruptionis ſigno, alij alios inuadendo præuerterunt, quo factum, vt faciliùs in manus Catholicorum venirent, & dum quidam vno in loco mactabantur, cæteri eorum quæ

cum ſociis agerentur ignari ſupplicium expectarent, ità malitioſè ac fraudulenter præparatæ Lugdunenſibus pedicæ Emundi ſolertiâ & conſilio, qui totam illam noctem, partim curſando, partim Deo pro ſalute vrbis ſupplicando inſomnem duxit, iterum hæreticos implicarunt. Quis autem ſequenti die vulgatâ periculi famâ ad gratiam illi referendam ciuium concurſus fuit, ſuperiora adhuc beneficia commemorantium, faciliùs ex magnitudine beneficij, & periculi vicinitate concipi poteſt, quàm mea oratione explicari. Nunc, quoniam commodiori loco commemorari non poteſt, aliud Lugduno collatum beneficium refero ſuperioribus haud impar, quo ciuitas ſancti Irenæi Epiſcopi lipſana quæ flammis conſumpta eſſe putabat, publico illo anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi ſecundi reliquiarum ſacrarum incendio, per Emundum facto memorabili recuperauit.

Capta ab hæreticis ciuitate ſicuti paulò ante explicatum eſt idem quod aliæ vrbes, Turones, & Pictauium in ſanctis Hilario & Martino paſſæ fuerant, Lugduni quoque in Irenæo tentatum eſt.

P. Ianinus in litteris an. 1616.

Bello igitur mortuorum ſepulchris, & Diuorum ſacris cineribus, publicè indicto à Religioſis illis, vt aiunt, pietatis Reformatoribus ſanctorum reliquiæ (quas Auguſtinus & Ambroſius ipſis Dæmonibus formidabiles eſſe dicunt) exutæ argenteis aureiſque loculis, in quibus ad tuendam Lugdunenſium pietatem, & commune vrbis præſidium religioſiſſimè ſeruabantur, protractæ in locum deſtinatum in vrbe ſontium ſuppliciis, vt ignibus, quos aliàs ſibi parcere præ reuerentia ſenſerant, nouo Martyrij genere per infames illos Vigilantij & Caluini buſtuarios iterùm torquerentur. Multorum martyrum corpora, ſicut in ciuitate peruetuſta piáque illarum opum maxima copia eſſe ſolet, ex templis eò delata ſunt. Inter alios Beati Irenæi truncus, qui Apoſtolis tempore proximus Lugdunenſem Eccleſiam olim rexerat, eámque ſuis in hæreticos commentariis, vigiliis, laboribus, generoſâ deniq; morte illuſtrarat. Enimuerò iam caput ſeparatum à corpore per vrbis plateas auſu ſacrilego rotatum, atque ludibrio habitum, ex ſentina, in qua repertum fuerat, ab eodem qui paulò pòſt

Franc. Feuardentius & P. Ribadeneira in S. Irenæi vita.

truncum ſeruauit, fuerat ereptum.

Intereà triſti ſpectaculo madentibus oculis vir quidam pius ſuburbij, cui à ſancto Iuſto nomen eſt Chirurgus, cui præter arcanum amorem, quo ipſe per ſe Martyrem colebat, caput domi abſconditum vehementes ad reliquum corpus conſeruandum ſtimulos afferebat. Sed modum veſtiganti nullus omnino in tanta hæreticorum ſpectantium multitudine atque agendi licentiâ occurrebat. Nihilominus mediam ſceleratorum turbam flammas iam, facéſque parantium peruadit, & aliquem de ſacrilego grege probè mentitus; ſinite, amabo vos, ô ſocij exclamat, ſinite me etiam hæc Papiſticæ ſuperſtitionis idola manu propriâ prunis ignique ſepelire. Tum ad locum vbi Diui Irenæi truncus iacebat euolans illum ſecum è veſtigio domum deferre & carbaſo ciſtáque ſimul cum capite incluſum raptim in horto ſub aggere collocat.

Interea muniendæ huic ſuburbij parti terra aliunde in Chirurgi hortum viciñáque loca magnâ copia ab hæreticis comportatur, ipſéque in morbum incidit à quo cum ſe ad mortem trahi vide-

ret, coniugem maturè accerſit, ſacramentóque obligatam ne cuiquam niſi viro probo & Catholico id quod eſſet dicturus aperiret, locum in quo lipſana ſacra condidiſſet quacumque potuit voce, certo tamen indicio declarauit.

Poſt obitum ſuperſtes mulier iuramenti non immemor tamdiu rem celatam tenuit, quandiu valetudo integra conſtitit & factioſorum viguit in vrbe dominatus. Verùm vbi mutatis temporibus ſumma rerum ad Catholicos reuerſa eſt, cœpit mulier morbo difficili ac periculoſo conflictari, à quo cum ad purgandam conſcientiam & ſe ſacramenti religione liberandam cogeretur, Emundum tunc famâ ac virtute totâ vrbe cognitum ad ſe venire curat, eique poſt aperta conſcientiæ vulnera, quod iurata de corpore Beati Irenæi à marito exceperat, exponit. Non potuit homini Irenæi ac ſcriptorum eius amantiſſimo quidquam accidere iucundius.

Primum igitur rem cum Diui Ioannis, ac ſancti Iuſti Canonicis, ad quos id præcipuè pertinere putabat, communicat, ſed cùm apud illos ſumptuum magnitudinem qui exportanda terra faciendi

erant, & rei vnius tantùm mulierculæ voce firmatæ incertitudinem metuentes, non multùm initio perfeciſſet; ad Diui Nicetij Conſeſſum (capitulum vulgo dicunt) laborem ſermonémque conuertit: quos cùm ad rem aggrediendam permouiſſet Emundus, ſimul Diui Ioannis Canonicos hunc honorem ſibi debitum ab aliis præripi grauatè ferentes, in ſumptuum atque operis communionem pertraxit.

Conducta igitur Operarum multitudine diminuta eſt aggeris moles & mulieris ope, quæ præter omnium ſpem, valetudinem recuperauerat, ſancti Martyris reliquiæ poſt multos annos ſine vlla ciſtæ aut carbaſi tabe vitióque repertæ ſunt, & ab iis, qui priuſquam ab hæreticis caperentur viderant, recognitæ. Indicta eſt ſolennis Ordinum omnium ſupplicatio, & magnâ pompâ, ſingularique populi gratulatione ab Archiepiſcopo in Diui Irenæi templum, vnde exierunt, fuerunt reportatæ, datis prius Augerio pro accepti beneficij mercede quibuſdam reliquiarum ſanctarum partibus, quas ille in diuerſa Societatis Iesv Collegia diſtribuit.

CAPVT XIV.

Lutetiæ Pariſiorum Societati IESV *nomen & lucem affert.*

Incredibilis eſt odor qui per Galliam de illo ſpargitur. Plena Lutetia, plenus Senatus Pariſienſis pleni Ordines alij Sachi. 2. p. hiſtor. Soc. ex Epiſt. R. P. Oliu. Manaræi.

NEc ſe Lugdunenſis Prouinciæ finibus Emundi virtutum fama continuit; ſed per vicinas vrbes diſſipata Lutetiam vſque principem Regni ciuitatem, peroportunè ad Societatis IESV commendationem ſolatiúmque aduolauit.

Cœperant bienniò fermè antequam aduentaret iubente Rege, & Senatu conſentiente, ſcholæ facultatum omnium, quæ Societatis IESV ſunt propriæ in ædibus Claromontanis aperiri, in quibus Ioannis Maldonati eruditio ſingularis cum pari eloquentia coniuncta, quid in Theologiæ diuiniſſima facultate Societas poſſet, abundè docuerat. Verùm nondum per maiora Templorum pulpita ſuggeſtúſque Eccleſiaſticos concionem docendo dicendóque tenuerat; cùm in vrbem excitus Augerius omnem vrbis populoſiſſimæ doctiſſimæque expectationem non æquauit modò dicendo, ſed etiam permouendo ſuperauit. Nam

Anno 1566. quo tempore ſe in Aulam ac Pariſios primùm vouiſ-

Nam dùm volente Epiſcopo ad concionem dicere cœpit, ȧd illum audiendum (erat enim iampridem in ea vrbe maxima inclytum Augerij nomen) quanta vnquam ad pauciſſimos confluxit ingentibus ſtudiis multitudo; cúmque certatim variorum Templorum Rectores ad ſe accerſerent, multa peruagatus totius populi Pariſienſis ſtudia commouit. In cuſtodiis quoque & Noſocomiis, ipſa demùm in Regia dicere iuſſus auctum & celebre nomen Societatis reliquit in diſceſſu. Rebus enim Toloſani Collegij ex ſententia geſtis ob quas Lutetiam venerat, Toloſam exeunte anno eſt reuerſus in ſummo Templo ex Canonicorum voto per ſacrum verni ieiunij tempus oraturus, vbi tum auditorum frequentiâ, tum vbertate fructus, ſua, & omnium Ordinum adæquauit vota, non tamen Pariſienſium ciuium qui diutiùs apud ſe retinere auidè quidem contenderant, ſed incaſsùm, ſaltem vſque ad ſequentem annum, quo rogatu Lotharingi Cardinalis Metis concionaturus ob itinerum difficultatem ſeriùs Pariſios cùm reuertiſſet, in Regia ſubſiſtere coactus eſt, & ad eam ſingulis diebus habe-

ſe teſtatur Augerius, epiſtolâ ad Damuillæũ data Pariſiis an. 1566. 28. Nouembr.

re concionem. Quod dùm ingenti rei Chriſtianæ progreſſu emolumentóque exequitur; ibi tota æſtate promouens Religionis cauſam priuatim ac publicè, præſertim apud Regni capita à quibus magnifiebat, ſub autumnum Tarnacinæ Miſſionis de qua mox dicetur, offendit occaſionem, quam percupidè eſt amplexus, depoſitâ ad tempus, in Annibalis Codreti Toloſani Collegij Rectoris manus, Prouincialis curâ, vt expeditè promptéque magis ad Regia caſtra, & ad Andegauiæ ducem de Regis Caroli mandato conuolaret. Ac tùm fortaſſis illud accidit, in quo de ſe ac vniuerſa Societate mirabilem apud Pariſienſes reliquit opinionem.

Ceperat animum quorumdam cupiditas tentandæ periclitandæque Societatis doctrinæ (rectóne an obliquo fine, incertum) videndique an tanta eſſet in ea doctrina quanta communi quorumdam ſermóne ferebatur. Igitur ſanctiſſimæ Trinitati feſtâ luce, quâ de obſcuriſſimo abſtruſiſſimóque Religionis Chriſtianæ Myſterio diſſerendum eſſet, domum in peruigilio veniunt, Rectorem adeunt; ſimulant eum Oratorem qui

concionem eo die tenere deberet, ſubito morbo ac difficili correptum, rogant enixè aliquem in ægroti locum ſufficiat; non dubitare ſe, quin id multi pro dignitate munus oblatum ſuſcipere poſſint. Quibus ille ob temporis breuitatem initio difficile fieri poſſe oſtendit, deinde cùm vrgerent vehementiùs, tentaturum reſpondit, an aliquis humeros oneri vellet ſupponere.

Nec mora, vocat ad ſe quos ad id maxime idoneos iudicabat, Augerioque in primis, rem totam, vt geſta erat, aperit: oſtendit periculum, honorem tamen præter morem Societati oblatum, quâ poteſt animi ſignificatione explicat; nec facilè Dei causâ repudiandum monet. Nemo tamen tam breui interuallo ſuſcepit, præter Augerium, quem quandiu vixit Societatis amor & Dei gloria fecit periculi omnis intrepidum.

Ergo obedientiæ præſidio & dicendi conſuetudine fretus, in muſæum ſe abdit, & numine exorato in opus incumbit, dùm interim nonnulli pro felici negotij exitu ſpontaneam diuerberationem precéſque Deo offerunt; poſtridie horâ condictâ prodit in cathedram, &

tanta eruditione ac dicendi facultate de re omnium ſpiſſiſſimâ orationem habuit, ita clarè & enucleatè materiam intricatiſſimam euoluit, vt admirationem voluptatémque omnibus, ijs verò qui rem geſtam ſciebant admirationem attulerit, nullo pacto iam dubitantibus, quin viri omni eruditionis genere cumulati in Societate eſſent.

Exinde Societatis nomen & fama propagare cœpit feliciùs, & præpoſteræ opiniones, quæ diu in animis multorum parùm amicè de Societate ſentientium inſederant reuelli ac penitùs extirpari. Augerius verò tanto Pariſienſium concurſu audiebatur, præſertim virorum principum, quorum animum miro ad id naturæ obſequentis beneficio ſibi deuinciebat, vt multitudinem templa non caperent, loca continendo populo ampliora quærerentur. De aula forenſis Curiæ vaſtiſſima ac capaciſſima ad eum audiendum conſtituta dicemus paulò pòſt. Nunc autem commemorandum quod ab eo tempore cùm Regi Carolo, Reginæque Matri Eloquentiæ ac virtutis nomine carus eſſe cœpiſſet, primus è Societate IESV, Concionatoris Re-

gij munus eſt adeptus, quod ſingulari virtutis & doctrinæ commendatione ſub duobus Regibus ad obitum vſque retinuit, vti teſtatum reliquit Epiſtola ad Dam-uillæum præfixa libro de Sacramento Baptiſmi, & Confirmationis, in qua & ſui in Aulam aduentûs meminit, & ſuarum in ea occupationum; prætereà excellentem Regis Chriſtianiſſimi Fratrúmque in audiendo Miſſæ ſacrificio pietatem ceu teſtis oculatus mirificè prædicat, imitandámque toti Galliæ proponit.

Finis primi Libri.

HISTORIA
VITÆ R. PATRIS EMVNDI AVGERII, QVI PRIMVS E SOCIETATE IESV CAROLO IX. ET HENRICO III. Chriſtianiſſimis Galliæ Regibus à concionibus & confeſſionibus fuit.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Metis in Lotharingia nutantem Religionem Catholicam confirmat.

Belforeſtus Gallicanæ hiſtoriæ libro 17.

INTEREA Regem cum Lotharingo Guiſióque Cardinalibus negotia Regni ſectariorumque factioſi motus è Gallia Metas exciuerunt: quæ vrbs, vt Ger-

manis ac Gallis æquè propinqua eſt ; ita populi vtriuſque erroribus erat obnoxia. Regem ſecutus Augerius vrbem populoſam & exterorum frequentiâ commercióque celebrem, partim Lutheri, partim Caluini opinionibus tantùm non perditam reperit. Iam templum vrbe mediâ ædificatum erat, in quo Cacodæmoni per impuros vtriuſq; ſectæ Miniſtros animorum multa millia quotidie mactabantur : nec erat Catholicæ Religionis penitùs extinguendæ obſcurum periculum, niſi remedium ſecum in vrbem Rex Chriſtianiſſimus adduxiſſet ; vix enim in eam venerat, cùm Emundum imperat aduerſus hæreticos linguam exerere, ſilueſcentíque agro admouere manum.

Ergo ſtatim in primario diui Stephani templo frequenti aulâ Catholicis iuxta ac hæreticis audientibus conciones habere, Miniſtros exercere, vocare ad pugnam, Græco Latinóque codicum ſacrorum textu, quo citando temerè lippientibus oculis Catholicorum tenebras offundebant, inſectari, mendacia technáſque diſſoluere, leuitatem Catholicorum damnare, accuſare ſocor-

diam, inconditos, improboſque mores dicendo perſtringere, ad ſeuerioris diſciplinæ formam amplexandam accendere: quibus exercitationibus ita ſuam omnibus doctrinam Zelúmque probauit, vt Taphenum primarium Caluiniſtarum præconem Græca Hebræáque ſuperbè apud imperitos iactantem multis diſputationibus fractum humilius modeſtiúſque de ſe cogitare coëgerit, & admiratione ſui apud omnes concitatâ inclinantes in hæreſim Metenſium animos ad contemplandum Catholicæ veritatis iubar inuitarit; tam læto Ciuitatis vniuerſæ prouentu, vt Tuſſanus Rouſſelius tùm in vrbe Canonicus poſteaquàm Societati nomen dedit, affirmaret vulgò quidquid pietatis ac Religionis in vrbe remanſiſſet, id totum eius laboribus ac virtuti acceptum referendum eſſe. Quod etſi ab amico & hoſpite fortè quis putet dictum paulò magnificentiùs, perſuadent tamen ita ſe habere tùm dicentis autoritas & eorum quæ alibi geſſit Augerius, çum his ſimilitudo, tùm maximè, quod ipſe prædicabat, eius in operando iuuandóque proximo admirabile vitæ inſtitutum.

Tuſſanus Rouſſelius ex Canonico Metenſi Soc. Iesv Sacerdos tranſtulit ex Latino Gallicè vitã S. Serenæ v. & in Bibliotheca Soc. Iesv. Idem Crucimanus in ſua.

Narrabat enim illum toto temporo quo Metis verſatus eſt vnica in ſingulos dies, eaque tenui corporis refectione vſum, totum tempus à ſtatis orationibus ad extirpandam malam frugem aut vtilem in Catholicorum animis ſeminandam contuliſſe; bis terve quolibet die verba faciebat ad populum, peracto Miſſæ ſacrificio :confitentibus peccata ſæpè ad horam quartam pomeridianam aures commodabat; qui fortè ſi deeſſent, tùm in Noſocomiis ægroti, virgines Deo dicatæ in ædibus ſacris, Religioſi in Monaſteriis, hæretici in circulis, in carceribus vincti, in aula Nobiles, Antiſtites in Conciliis ad eandem vſque horam occupabant. Verùm ſtatim atque quarta tempus Catechiſmi nuntiarat, illico remeabat ad templum, & coram pari Auditorum multitudine præmiſſa puerorum & puellarũ inter ſe de Chriſti doctrina concertatione, iterum de fidei oraculis & rebus ad Chriſtianam pietatem pertinentibus, aduerſus hæreticos diſſerebat. Quo in munere prorſus apud illos inſueto nouóque ita Ciuium gratiam beneuolentiamque collegiſſe idem Tuſſanus referebat, vt in abeuntem do-

múmque reuertentem tota penè ciuitas effuſa videretur, ſtipantibus illum puerorum Ciuiúmque agminibus communis inſtar parentis omni veneratione ſtudióque proſequentibus.

Excipiebat illum ab eiuſmodi laboribus cœna vulgaris, quam frequenter poſt ſtudium & orationem ſponte ſuſcepta pro animarum ſalute & hæreticorum conuerſione ſeuera corporis caſtigatio condiebat. Huic vitæ inſtituto laborúmque contentioni quid mirum tantoperè, ſi, quod Tuſſanus aiebat, Metæ Religionem, ſalutémque ſuam deberent, pietaſque tot culta laboribus, tot exemplis irrigata fructus oſtenderit, qui ad hanc vſque diem, ſuum colorem vigorémque retinent. Floret enim adhuc apud Metenſes ab Emundo inſtituta in honorem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſodalitas, quæ aduerſus hæreticorum de hoc Sacramento deliria, multa deuotionis & pietatis exempla tulit, hodiéque etiam perferre dicitur.

Enimuerò Tuſſani orationi apprimè conueniunt quæ tertia parte hiſtoriæ
Lib.7 n. 91. Societatis habentur, in qua diſertè affirmatur Augerium Metis per Quadrage-

ſimam verſatum neminem ex primariis reliquiſſe, quem ab hæreſi non reuocarit. Conciones in principe vrbis Templo, in quo ante Dominicis ſolùm diebus fiebant, vt frequentiæ auditorum fieret ſatis, quotidianas habuiſſe, tum alias ad milites in Arce, alias ad deuotas fœminas in cœnobio. Præterea ter in hebdomada Catechiſmum expoſuiſſe, ſæpe publica miſerorum diuerſoria, ſæpe carcerem ſolatum, cùm interim nullum diem, non multas horas in Pœnitentiæ ſella perſeueraret, pleriſque mirantibus vnum corpuſculum tot eſſe laborum capax.

Cæterum Rex Chriſtianiſſimus eius oratione permotus, & Catholicorum prece priuſquam vrbe decederet, templum ſceleratum deturbari penitùs voluit, deiectámque in vrbe crucem ab hæreticis reparari. Præterea ſanxit, ne cuiquam in vrbe præter Religionem Catholicam publicè profiteri fas eſſet. Cui edicto non obfuit felix ad eum perlatus nuncius de victoria ab Henrico fratre ad Iarnacum aduerſus hæreticos reportata, in qua ab Adoleſcente præcipua perduellium capita cæſa ſunt: reliquiæ

in prælium Moncon turienſe, quod paulò poſt ab eodem confectum eſt reſeruatæ. Huic Augerius ab Rege ad fratrem miſſus interfuit, præclarumque virtutis & piæ in iuuando inflammandóque milite induſtriæ ſpecimen edens, Henricum cæteróſque exercitûs duces docuit Eloquentiam non modò pacis, ſed etiam belli tempore eſſe admodùm ſalutarem.

Vt patet ex epiſt. libri de Sacramento Pœnitentiæ, ad Ducem Andegauēſem an 1571. vbi ſic loquitur. *Qui de prés aura remarqué cõme moy tout le temps que ie fus en voſtre armée aupres de vous en Poitou, & depuis en cette Cour pour quelques mois, &c.*

Et multa quidem quæ pro re Catholica in his duobus præliis geſta eſſe dicuntur ab Emundo, ſimul cum illorum temporum hominibus rebuſque periiſſent, niſi ex eadem Societate hiſtoria conſtaret quòd cum Henricus, Dux Andegauiæ, ab Carolo fratre aduerſus hæreticos miſſus fuiſſet, Regis, Reginæ, Cardinalis Lotharingi, aliorúmque Principum ſententiâ viſum fuiſſe magni referre, vt ad eum proficiſceretur, itáque factum eſſe paulò poſt, atque ab Henrico tanta exceptum alacritate ac gratulatione, quanta vix poſſit explicari. Tunc enim erat pars exercitus præcipua in pago quarto ab Engoliſma milliario diſtante, ad quem ſimul ac valde periculoſo itinere peruenit Augerius,

Parte 3. l 4. n. 212. & lib. 5. n. 125. & 127.

continuò conuocatis in peramplas ædes ad oppidi forum ſitas Militibus & Nobilibus, poſt inſignem concionem rem diuinam facere cœpit, tùm nihil prætermittere, quod omnium ſaluti procurandæ, & excitandis ad rem bene gerendam animis vtile eſſe poſſet. Quam in rem vir tenuiſſimæ valetudinis, dies totos affixus equo & fermè ieiuniis obibat omnes copiarum ordines, & humi noctu cubans, circumcurſabat inter circumuolitantes globos plumbeos, nullius expers ærumnæ militaris, conſilia dando, concionando, Deum precibus propitiando, diuina myſteria diſtribuendo, denique nullum periculi genus declinans pro virili iuuare victoriam nitebatur, quam viſus eſt pleriſque etiam prædixiſſe. Nam quo die ad Iarnacum feliciter pugnatum eſt ac debellatum, peracto ſacro, præbitáque Henrico, & Monpenſerio Duci, aliiſque Nobilium qui frequentes intererant, diuiniſſima Euchariſtia, dùm Henricum ipſum loricam ſe induentem iuuat, & fibulas thoracis nectit, magno cum ardore ad viriliter pro Deo, proque Religione certandum adhortans: Ito, inquit, bono

animo, haud dubiè victor redibis. Et vt prædixerat reipſa contigit cæſis Perduellium cum Duce copiis, & præclara clade Admiralio in fugam ſic verſo, vt partæ victoriæ nonnulla pars eius curis, vigiliis, & laboribus à multis tribuenda videretur. Quam proximè ſecuta eſt altera ad Monconturum eadem felicitate ab Catholico Milite reportata pari rerum geſtarum laude, nec diſſimili Augerij contentione & ærumna.

CAPVT II.

Dum percurrit omnia Societatis IESV *munera, in morbum incidit periculoſum, à quo diuinitùs momentò curatur.*

QVAMQVAM munera, quibus in hac vita perfungimur, certum non ſunt virtutis argumentum, cum in ijs multi etiam parum in virtute progreſſi verſentur, ipſéque ſanctitatis Magiſter à ſuis fugienda aut contemnenda eſſe quâ voce quâ exemplo docuerit; non eſt tamen obſcurum de integritate alicuius teſtimonium, quod à rectè ſanctè-

que obitis muneribus accerſitur, præſertim cùm inuito ac detrectanti à ſapientibus & virtute conſpicuis vltrò deferuntur. Non commemorabo hîc honores quos à viris Principibus tam Laicis quàm Eccleſiaſticis, quibus fuit in deliciis & admiratione, accepit. Nunc enim ſolùm illa recenſeo, quæ in Societate obiit, & paucorum de multis, quæ ab eo geſta ſunt memoriam ſuſcito, vt ex eorum dignitate illius virtutis & ingenij ornamenta melius intelligantur.

Turnone non diu ob tumultum bellorum ciuilium, Tholoſæ diutiùs Rector fuit, quo in munere ſicuti nec in ſequentibus concionum & confeſſionum vſitatam curam nunquam intermiſiſſe aut diminuiſſe dicitur. Frequenter delectus eſt à Societatis IESV in Gallia Patribus, qui Romam ad R. P. Generalem mitteretur; Tribus Generalibus Societatis IESV comitiis interfuit. Diſtributis Galliis in duas Prouincias, quarum altera Franciæ, altera Aquitaniæ nomen haberet, Prouincialis Aquitaniæ creatus eſt. Quo in munere naſcente tùm in Galliis Societate multæ itinerum difficultates, plures oppugnantium ijs tem-

poribus hæreticorum inſultus ſuſtinendi fuerunt, Collegia à variis anguſtiis paupertatis, & telis calumniarum defendenda, in quibus illius induſtria multûm deſudauit. Coactum aliquandò ferunt negotiorum multitudine & vi neceſſitatis vno in loco ad conſolandos verbo ſocios cum ocreis deſcendere, & mox ad idem ſubſidium præſtandum aliis in expectantem equum reſilire. Tribus è Societate Patribus Romam ex Hiſpania proficiſcentibus liberandis è carcere, in quem ab hæreticis prædonibus compacti fuerant, non minus opportunè adfuit, quàm reapſe pro redemptione illorum pactam pecuniam ab amicis impetrauit. Cuilibet interroganti de rebus ad inſtitutum Societatis pertinentibus nunquam niſi laudato Conſtitutionum textu bullâque reſpondit.

Ludouicus Pontanus in vita P. Baltazaris Aluarez cap. 27.

Denique Viſitatoris munus (quod eſt à Generalis dignitate ſecundum) in eadem Prouincia geſſit, perſtantque hodie apud Aquitanos Viſitationis relicta monumenta. Sed in illius exitu morbus illum propter continuos labores in animarum cura ſuſceptos corripuit, qui ſtatim ab exordio erepturus huic orbi videbatur.

In Priuilegio quod librum de Matrimonij Sacramento antecedit appellatur Doctor in Theologia & Superior

debatur. Fugiebat enim Medicorum peritiſſimorum ſcientiam, & omnem opem ſuperabat, graſſante per totum corpus occulta lue, quæ pellem à corpore cum magno dolore diuellebat, & ſubiecto relinquebat in ſtragulo.

Ieſuitarum in Aquitania anno 1572.

Itaque (quod in extremis morbis fieri ſolet) ad vota precéſque deficientibus Medicinæ ſubſidiis confugiendum fuit. Vixerat apud Ruthenos ante annos non amplius octoginta Franciſcus de Stanno Epiſcopus ex perilluſtri eiuſdem cognomenti Vicecomitum familiâ, quæ etiamnùm in Gallia floret nobilitate, armis, cognationibus & apud Aruernos in Eccleſia Claromontana non indignum Maioribus Antiſtitem numerat. Is magnis virtutibus, & maxime profuſâ Charitate in Deum, & ſummâ in egenos munificentiâ tantam ſibi apud populum ſanctitatis famam pepererat, vt poſt obitum multis miraculis clarus inter Beatos ac Cælites numeraretur. Erant tùm cùm Augerius ægrotaret recentiſſima illius in ſuam poſtulantes opem beneficia: quod illum permouit, vt eam in ſe quoque deriuare

Ioannes Chenû Aduocatus Pariſienſis in Chronologia Epiſcoporum Galliæ num. 40. Franc. Stanneus.

tentaret. Ergo votum concipit, quo ſe, ſi valetudinem priſtinam recuperet, ad eius Baſilicam viſendam, in eáque Aduentus & Quadrageſimæ tempore concionandum obſtringebat. Audiuit è Cœlo ſanctus Antiſtes quod in amici gregis vtilitatem caſurum erat; & momentò ſicut ipſe Augerius carmine ad eius beneficij conſeruandam memoriam gallicè compoſito teſtatus eſt, ſine vllius remedij aut medicamenti adminiculo ſanitatem illi reſtituit: quod ex redditis latine verſibus adhuc manifeſtius apparebit.

Beato Franciſco de Stanno Epiſcopo, pro ſanitate P. Emundo Augerio Societatis IESV *reſtituta eiuſdem Ode Euchariſtica.*

,, SVprema quiuis funera ſpiritus,
,, Minaſque fati ridet: at impotens
,, Durare corpus ſempiternis
,, Sub tumulo cohibet Catenis.
,, Verùm ſoluta lege hominum ſator
,, Dextram ſepulchro ſubdit amabilem,
Et ſoſpitatis crebra ſacros
Per cineres iubet ire dona.

„ *Meo quis eheu! corpore carnifex*
„ *Sæuibat ardor! quæ penetralibus*
„ *Recepta peſtis æſtuantes*
„ *Tabe ſacra lacerabat artus!*
„ *Qua ſe Garumnæ gurgite proluit*
„ *Fæcunda Baccho Burdegala, hic tuum,*
„ *Franciſce, nomen dexteræque*
„ *Deſtaneæ auxilium laceſſo.*
„ *Franciſce, nam tu criminis integer*
„ *Ruthena paſtor nuper ouilia*
„ *Cælo regebas; vix recumbens*
„ *Oſſa ſuper loculúmque fletu*
„ *Circumrigâram ſupplice, cum pius*
„ *Audiſti, & atrum corpore toxicum*
„ *Repente ceſſit: ô Medela!*
„ *Triſtibus, ô panacea morbis!*
„ *Lætus Garumnæ litora deſero,*
„ *Rutena & æſtus temperies tuos*
„ *Tholoſa placat, hic Auerro*
„ *Me placidis recreauit vndis:*
„ *Tutela gentis cælitûs Aliger*
„ *Demitigato lapſus ab æthere*
„ *Deſignat ædes queis moratur*
„ *Nomine turba ferens Ieſum.*
„ *Hac actuoſam limina præſidem*
„ *Sanctè colebant, quæ dapibus Deum*
„ *Refecit olim, qui Penates!*
„ *Quis potior, ſuperi, receſſus!*

Certe Martinus Rouellus è Societate Iesu dum Rectorē ageret in Collegio Rutenēsi nobis teſtatus eſt ſe vidiſſe Epigramma quoddam quondam ſcriptum ab Emundo Augerio Societatis Theologo & Concionatore dum viueret celeberrimo, in quo aſſerebat ſe auxilium Frāciſci de Stāno imploraſſe, & ab infirmitate qua tenebatur liberatum. Ioan. Chenu in Chronol. Epiſc. Galliæ n. 40. Fluuius qui Rutenas alluit.

Collegium Societatis IESV in S. Marthæ Prioratu ſitum.

„ *Si fors laboro, Martha ducem dabit.*
„ *Si fors quieſco, ſum Mariæ comes.*
„ *Simul manu, ſimulque voce*
„ *Magnus vtrumque docebit hoſpes.*

CAPVT III.

Pœnitentium diuerſi cœtus quos in multas Galliæ vrbes introduxit, ab Aduerſariis defenduntur.

SI tantùm eſſet flagitij in Pœnitentium cœtibus, quantùm lutoſæ lacûs Gebennici ranæ crepant & nonnulli ſpecie tantùm externâ Catholici, re autem vera Eccleſiæ & Pœnitentiæ hoſtes; Emundum Augerium, qui eos ex Italia in Galliæ pleraque loca acceſſiuit, non modò non reprehenſione dignum putarem, ſed omnia Pœnitentium Collegia ableganda è Gallia & æterno percuſſa anathemate inferis ſepelienda eſſe crederem, ne tot ſceleribus quæ iſti ſine vlla probatione commemorant, orbem funeſtarent. Sed ſi in illis nihil eſt non pium, non receptum à Maioribus, à ſanctiſſimis hominibus vſurpatum, probatum à Conciliis, & à ſummis Eccleſiæ

Emundus Augerius in Metanzo-

poſt Chriſtum ſacerdotibus confirmatum, prudentibus iudicandum relinquo, quo in pretio ſit habendus Augerius, qui ea magno cum hominum fructu in Galliam inuexit, & quo de grege ſint illi Catholici qui veteris circi factionibus, & lupercalibus comparare ſunt auſi? Nam ſi nihil aliud ad eorum improbitatem oſtendendam & coarguenda mendacia ſuppeteret, quam quod cum omnis reconditæ doctrinæ Dij videri velint, in re omnium apertiſſima & penè geſta in oculis cæcutiant; hoc tamen ſatis eſſet, vt oſtenderetur eos in Eccleſiaſticarum rerum ſcientia noctuas eſſe, quod eſt ignorantiæ; aut vltro Pontificem, Regem Galliæ ac Senatum ea Collegia probantem ac ſtabilientem accuſare, quod eſt improbitatis. Verum Clariora habemus argumenta quibus & illorum oſtendamus ignorantiam & Pœnitentiæ cauſam aduerſus eiuſmodi Iouiniani & Vigilantij pullos tueamur. logia cap 15. & ſequent.

Atque in primis mihi prorſus ineptum ac ridendum videtur, Praſinis ac Venetis circorum gladiatoribus atratos & linteatos Chriſti pugiles in ſuam carnem Pauli exemplo ſæuientes comparare.

Nec longè ab Ethnicorum impietate diſtare videntur, qui homines Chriſtianos quod ſancto & veteri Eccleſiæ vtriuſque tam vigentis quàm abolitæ ritu de ſe pœnas flagellis exigant, Mœnadibus furioſis ac ſpurcis Lupercalibus annumerant.

Nam ſi propter colorem veſtium, flagellorum vſum, & alia id genus nobis cum Ethnicis communia aliiſque nationibus, ita ineptè ſentire aut loqui de rebus ad religionem pertinentibus fas eſſet, nihil tam ſanctum in Chriſti Eccleſia, nihil tam apud homines laudabile quam ab huius farinæ hominibus ad propudioſa Gentilium ſacrificia referri non poſſet. Itaque bellè gentilium Apoſtolus omnia mundis munda eſſe dixit, immundis immunda, & profana profanis videri: ſic vt qualis quiſquis ſit apud ſeſe, tale de rebus iudicium ferat; abſurdum imperitus, inſulſum fatuus, profanum infidelis, hæreticus impium.

Ex eodem impietatis & ignorantiæ fonte manauit, quod alius ex Aduerſariis eorum Cœtuum originem ad veteres flagellantes hæreticos reuocat, & conſilia digna talibus hominibus factáq;

malitioſiſſimè ſuppingit, & ſi conſtet ex amborum ortu, inſtituto, legibus, viuendi ratione hos ab illis tam eſſe differentes, quàm lux nocti opponitur, veritati mendacium, vita morti.

Flagellantes enim hæretici & à Clemente VI. damnati anno 1349. in Germania primum cœperunt, cum longè ante in Italia vigerent in oculis Antiſtitum Pœnitentium familiæ, & in eadem Prouincia ad hunc vſque diem ſumma Pontificis approbatione perſeuerent. Flagellantes vt noſtrates Caluiniſtæ Eccleſiæ autoritatem, Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta contemnebant, varias Prouincias obibant, luſtrali aquæ virtutem denegabant, Sacerdotes & Ordinis ſacramentum proſcribebant. Aiebant neminem eſſe Chriſtianum, niſi qui in proprio ſanguine de corpore flagellis excuſſo baptizaretur, aliáque id genus hæreticorum huiuſce temporis affinia. Nihil ſimile Pœnitentium ſcholæ docent, qui vnum in locum aggregati ſacerdotum venerantur poteſtatem, ab ijs diuini verbi cibum accipiunt, & ritè à peccatis per confeſſionem expiati Dominici Corporis parti-

cipant ſacramentum. Flagellantes periurio ac latrocinio infames, Catholicos vt ſuperiori ſeculo fecerunt, Caluiniſtæ, ferro flammáque perſequebantur. Nihil porro tale vnquam de Pœnitentium cœtibus eſt auditum; quos ſtatuta ad benefaciendum egentibus, ægrotis miniſtrandum, opitulandum vinctis, & omni ſcelere abſtinendum obſtringunt.

Sed, quoniam in hoc toto genere nihil video mollibus & delicatis Epicuri diſcipulis magis diſplicere quam corporis caſtigationem & diſciplinæ vſum, quâ maximè ad vlciſcenda ſua ſcelera digni ſunt, ideóque ſaccos, verbera, veſtes cilicinas & alia pœnitentium inſignia, quæ nunquam niſi de nomine nouerunt, allatrandò eminùs, vt canes timidi mordent paſſim, & à Secularibus penitùs reiecta in cœnobia Monachorum relegant; incumbit mihi curſim oſtendere pro Pœnitentium cauſa, quibus illa ſeueritas placet, hæc non ſolùm à Religioſis, ſed etiam à Laicis hominibus piè ac religioſè fuiſſe ſemper obſeruata. Nihil erit neceſſe ex veteri inſtrumento exempla petere in quo cilicini ſacci, cinèrum,

ieiuniorum & diſciplinæ frequens eſt mentio, quæ Aduerſarij dicere poſſent in Synagogæ ſepulta fuiſſe ruderibus, & ſuccedente amoris legis manſuetudine eſſe abrogata.

Nam & Chriſtus ipſe Aſſertor noſter verbera duriſſima paſſus eſt longè antequàm vlla eſſent Monachorum Cœnobia, & eius exemplo Apoſtoli, Martyres alacriter pertulerunt. Quis Paulum non legit, liuidum facientem ac ſugillantem verberibus corpus ſuum? quis non audiuit Colloſſenſibus præcipientem, vt mortificent membra ſua quæ ſunt ſuper terram? Quis non admiratus eſt apud Galatas de ſtigmatis Chriſti in corpore expreſſis gloriantem? An verò erant illi Monachi, quibus Chryſoſtomus inclamabat, vt carnem tanquam Ancillam flagellis laniarent, & peracto conſcientiæ examine viuerent, memores veſpertinæ plagæ? An erant Monachi Otto quartus Imperator, B. Ludouicus Galliæ, Henricus ſecundus, Angliæ Reges, Eleazarus Prouinciæ Comes, qui ſponte huic flagellorum Monomachiæ humeros purpuræ orbíque ferendo aſſuetos Chriſti & ſalutis ſuę causâ ſuppoſuerunt.

Propter quod Patres à Spiritu ſancto edocti affligebant ſe cum ſuis orationibus volebant aliquid impetrare.

Quod ab hinc ſeruat omnis Eccleſia affligẽs ſe ieiuniis, ciliciis & flagellorum diſciplina. Guilielmus Pariſienſis in Rhetor. cap. 28.

Prætereo fœminarum principum & tenellarum Virginum greges, qui ad hanc etiam luctam fortitudine maſculâ deſcenderunt. Petrus Damianus, qui ante quingentos annos ſanctitate & doctrinâ ad Blancam Comitiſſam ſcribens diſciplinæ faciendæ morem in ijs locis vbi degebat, adeò inoleuiſſe tradit, vt non modò viri, ſed etiam nobiles mulieres hoc, vt ait, purgatorij genus inhianter arriperent. Sanctum Vincentium inſignem verbi diuini Præconem vrbes integræ & populi ſequebantur ad hoc ſalutare carnis tormentum, vt in eius vita refert Surius, idémque teſtatur Bernardinum Senenſem eloquentiâ, ſanctitate ac tempore illi ſupparem, antequam Religioſus eſſet in ſodalitatem benè Moratorum ſeu Confraternitatem Diſciplinatorum, vt vocant, Beatæ Virginis à Scala aſcribi voluiſſe, eámque ipſam eſſe, ex qua reliquæ Italiæ Diſciplinatorum laicorum ſcholæ prodierunt.

Ex quibus liquet non modo apud Monachos, ſed etiam ſeculares hoc pietatis ſtrenuæ ac heroïcæ ſtudium ſanctè laudabilitérque viguiſſe, nec ſolùm hoc tempore Pœnitentium ſodalitia à Ieſui-

tis & Capucinis, vt Sectarij garriunt, in Orbem introducta fuiſſe; Sed longè antè in Eccleſia extitiſſe, fructuoſéque hodie in Gallia excitari poſſe pro vlciſcendis puniendíſque vtiliter ad ſalutem eorum mendaciis, qui ea partim erecta diſturbarunt, partim ne erigerentur, impedierunt.

CAPVT IV.

Variæ pietatis ſcholæ retinendæ Religionis causâ in ciuitates Galliæ introducuntur.

HOc præteruecto maledicentiæ ſcopulo, in quem toties linguæ peſtilentis iacula vibrarunt laboris ac Pœnitentiæ Aduerſarij & à nobis complanato, iam in inſtituto curſu faciliùs progredietur hiſtoria, docebitque qua ratione Augerij laboribus eiuſmodi ſcholæ pluribus Galliæ ciuitatibus fructu non pœnitendo exceptæ in aulam vſque & regni primariam ſedem penetrarunt.

Toloſa nobilis eſt ac peruetuſta Galliæ ciuitas, quæ vt in retinenda religionis auitæ puritate aduerſus imminentes

hæreticos pugnaciſſima fuit, ita viſa ſemper eſt eſſe deditiſſima eius incrementis. In ea primùm natæ ſunt & inſtitutæ diuerſæ Pœnitentium familiæ, hodiéque non minori celebritate quàm fructu perſeuerant. Cum enim Pater Emundus Augerius in ea vrbe ſuas conciones, Chriſti præcurſoris exemplo, à Pœnitentia fuiſſet exorſus, ita eius naturam, commoda, neceſſitatem, fruges, oratione perſecutus eſt, vt totam ciuitatem eius amplectendæ vſurpandæque ſtudio accenderit. Quare non tantùm in ea perantiquus ſacræ exomologeſis vſus multitudine eorum qui ſua peccata frequentiùs expiarent auctus eſt; ſed præterea tria Chriſti pugilum agmina ſuis diſtincta coloribus repente prodierunt, quorum pia certamina & nouæ ſecum pugnandi formæ ciuitatem ſpectaculi pompa nouitatéque commotam omni religione compleuerunt.

Idem legitur feciſſe S. Vincentius Ferrerius apud Surium in eius vita.

Itaque nihil in Vrbe cœpit eſſe frequentiùs, non modò apud obſcuræ ſortis homines, ſed etiam apud Nobiles & Patritios, quàm ex receptis earum ſcholarum legibus ſaccum induere, flagello ac precatoriâ Coronâ armatos præeunte

Chriſti ex cruce pendentis imagine procedere, templa verrere genibus, aërem replere ſuſpiriis ac gemitibus, terga in priuatis oratoriis ad triſtes canentium modulos diſciplina percurrere, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſacramentis intereſſe, Noſocomia ſtato die viſere, cibos ac pecunias in ægrotos diuidere, viſitare cuſtodias, vinctis ſolatia, redemptionem captiuis, pupillis ſubſidia, puellis egeſtate laborantibus ſolicitè matrimonia quærere, aliáque id genus pietatis exercere, quæ nobis ad aſſequendam beatitudinem ab Chriſto facienda proponuntur. Argumento erit quod eodem Augerio ad Pœnitentiam in concionibus hortante factum commemoro.

Anno ſeculi ſuperioris milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, quo ſolenne Iobilæum ad extinguendas bellorum ac ſeditionum procellas, quæ totum penè orbem Chriſtianum infeſtabant, à Romano Pontifice indictum fuit: hic ardor Pœnitentiæ qui viros ad ea quæ dixi perpetranda ſtimularat, fœminas quoque nobiles ac primarias inflammauit. E quibus ducentæ quinquaginta exemplo ſecuturis ætatibus mirabili in locum

Emundus Augerius in Metanæalogia p. 188.

vnum, approbante vrbis Magiſtratu & Archiepiſcopo, diuerſis temporibus coactæ, ſumptâ Euchariſtiâ & ſeuerè caſtigato inſuetis verberibus corpore, templa quatuor in vrbe conſequendis Indulgentiis aſſignata ſaccis rudibus coopertæ, cælo perfrigido, funalibus accenſis, nudis in lutoſa ciuitate pedibus longo & permoleſto itinere perluſtrarunt, ordine, modeſtiâ, pietate, patientiâ tam admirabili, vt ad vltimam religioſi ferculi pompam ſpectandam cùm ex vrbe, tùm ex vicinis locis, ad quæ illius fama peruolarat, hominum plus centum millia conuenerint, in quorum animis præter ſtuporem tantus remanſit imitandi feruor, vt poſtea ferè inter omnes de affligendo atque hoſtiliter tractando corpore certamen eſſet; duóque exercitus qui tùm vrbi populandæ imminebant hæreticorum qui ſpectaculo inter fuerant, conſiliis, ita diſſipati fuerint, vt nunquam poſtea potuerint coaleſcere inter ſe, Deo pietatem ſexûs imbecillis præſente de hoſte victoriâ munerante, & hoc beneficio ſibi cordi fuiſſe quod geſtum erat, declarante.

Toloſam ſecutæ ſunt eodem adla-

borante aliæ Regni ciuitates, Lugdunum, Ruthenæ, Vienna, Turones, Valentia, Dola, Gratianopolis, in quibus eiuſdem inſtituti Collegia floruerunt, donec ab Henrico Rege perſpecta Lugduni eorum ſanctitate, Lutetiam anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo quarto ſimul cum Emundo ex Burgundia ad id vocato peruenerunt, ac ſedem ſibi apud totius regni principem Nobilitatem Henrico leges ac ſtatuta Congregationis ſub Beatæ Virginis ab Angelo ſalutatæ patrocinio promulgante delegerunt. Quo tempore confirmata Gregorij XIII. Pontificis Romani literis Sodalitate, & Senatûs Principis autoritate ſancita viſa ſunt Pariſiis, quæ forte nunquam antea in illo theatro rerum omnium ſpectata propter nouitatem fuerant: Principes ac Magnates ſaccis & cinere cooperti, oſtrum & purpura in cannabem mutata, ſceptrum in diſciplinæ virgam, Aula in pietatis contubernium, & domicilium ſeueritatis nouo miraculo conuerſa.

Henricus Spondanus tomo 3. Annalium ad annũ Chriſti 1583.

Fuerunt & aliæ ab Augerio diuerſis in locis inſtitutæ & fructu ſuperioribus cognatæ Societates, quales ſunt eæ quæ

nobile ac religioſum Chriſto ad ægrotos in Euchariſtia proficiſcenti per vrbes ſatellitium præbent, & eius honori cultuíque ſtudent & ex inſtituto præcipuè. Toloſæ quoque hodie celebris eſt ea Sodalitas, cui anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ob liberatam ab Colignij Gallici maris Præfecti obſidione vrbem, à Miſericordia nomen impoſitum eſt, quod tota in alendis & ſubleuandis miſeris ſit occupata, & ope præſtandâ illis qui publicis cuſtodiis detinentur.

Hiſt. Soc. par. 3. l. 6. n. 69.

Nam cùm in Cuſtodiis publicis quæ quinque erant, multitudo ingens clauderetur hominum quos intoleranda omnia conficiebant; Emundus qui Noſocomiis ante proſpexerat, miſeriarum hanc quoque partem leuaturus, Sodalitatem conflauit, quæ ſua ſtudia huic muneri eò magis opportunè dedicaret, quò dùm totam ciuitatem arctè premebat inopia, multò in miſeros ab vſu communi conſpectúq; ſemotos ingruebat acerbius. Qui enim in illam ex receptis legibus & ſummi Pontificis diplomate probatis, tam viri quam fœminæ primariæ nobilitatis leguntur, qualibet hebdomade

domade aliquem de carceribus adire tenentur, & ſedulò curare vt ad vinctos quouis die Veneris habeatur concio, ægris ſi qui reperiuntur cibi & medicamina præbeantur, dentur tomenta ſanis, ære alieno grauatis, aliqua pecuniæ ſumma, extremo ſupplicio afficiendis, ſupra conſolationis priuatæ ſubſidium.

Dolani etiam qui ſunt in Burgundiæ Comitatu pars electior Sodalitatem, quam vulgus à ſanctó Georgio nominant, Augerio referunt acceptam; in qua qui ex nobiliſſimis totius Ciuitatis familiis leguntur viri ac fœminæ (nam his quoque patet aditus) præter ea quæ cum Pœnitentium ſcholis ſunt illis communia, vinctis in carcere iuuandis præcipuâ charitate ſunt addicti. Nam ijs conciones procurant, quærunt Aduocatos, redemptionem ſtipe propriâ aut alienâ accelerant, miniſtrant cibos, morientibus piè aſſiſtunt, & impetrato à iudicibus cadauere exequias pompa celebri ac magnifica extruunt. Quæ cùm ſint cum ingenti Dei honore, & hominum ſingulari vtilitate coniuncta, non poteſt ad eum qui ea ſecundùm Deum concionibus, conſilio & laboribus ſtabi-

liuit gloria fructúſque immortalitate dignus non redire.

CAPVT V.

Iuuat oratione Capucinos in adeundo Regno, & conſtituendo Equitum S Spiritus Ordini adlaborat.

QVAMQVAM eodem fermè tempore, quo minima IESV Societas à Deo in Eccleſiæ laborantis ſubſidium data eſt orbi Catholico, nouum illud religionis robur extitit, quod Capucinorum Ordo vulgò nominatur, non tamen Gallis niſi Caroli noni temporibus cognitus eſt, & in Regnum receptus, quo ſceptrum tenente cum in aulam veniſſent, vt à Rege poteſtatem ſibi fieri poſtularent condendi Monaſteria in omnibus Regni ciuitatibus, quibus ſuam operam non ingratam fore intelligerent, non defuerunt Religioſorum multitudinis inimici, qui aſpero atque horrido illo cultu ſummáque nuditate perterriti, conſtanter apud Regem affirmarent, Monachorum ac Religioſorum eſſe in Gallia plus ſatis, & hiantia adhuc vulnera detegendò, quæ Dei Eccleſia ab

Regula S. Franciſci edita Pariſiis an. 1632

deſertoribus quibuſdam Monachis accepiſſet, palam dicerent de Religioſorum exterminio vel reformatione cogitandum potiùs eſſe, quàm de nouo aliquo Ordine admittendò, cuius & viuendi ratio eſſet hominibus incognita & Reip. oneroſa eſſe videretur ſuſtentatio. Quâ ratione cum percelleretur Regis animus, & ab annuendò deterreretur, oportunè ad eorum defenſionem & coërcendam Aduerſariorum loquendi libertatem, ſic apud Regem Augerius, qui fortè tunc in aula erat, exorſus eſt.

Vellem Deus immortalis feciſſet, ô Rex, vt tanta eſſet in hoc Regno tot vitiis circumfluente virorum ſanctitate & virtutum exemplo florentium abundantia, quanta eſt eorum qui doctrinâ & eruditione pollent. Nam ſi ad cætera quæ Deus in Galliam plenâ manu beneficia contulit, hoc vnum adiunxiſſet, ijs ego non eſſe repugnandum putarem, qui nouo huic Ordini recipiendo tantoperè aduerſantur, ſed cum illis affirmarem virtutum exempla faciliùs honeſtiúſque ex patriis viciníſque fontibus hauriri, quàm ex peregrinâ ignotáque ſcaturigine periculosè deriuari; Enimuerò Indigenarum

fluuiorum aquæ ſemper dulciores ſunt & ad ſanitatem popularium longè ſalubriores. Verùm cum hodiernâ die in magna virorum doctiſſimorum turba tanta raritas virtutis exemplorum appareat, vt multi quæ doctrinæ propugnacula ad Eccleſiæ defenſionem docendò dicendóque conſtruunt, viuendò flagitiosè, & effrenatis cupiditatibus obſequendò, velut altera manu demoliantur; non poſſum eorum conſilia non improbare, qui Regno Chriſtianiſſimo eos Religioſorum Ordines inuident, qui quamquam ſunt teneri & recens in Eccleſiam introducti, præclara tamen virtutum exempla verbo factóque profitentur, qui labentem pietatis dignitatem ſuſtinere veniunt, & antiquum Catholicæ ſeueritatis colorem in affecta corruptáq; membra reducere, qui vitæ integritate, & caſtigatâ morum diſciplinâ peruicacibus filiis pulcherrimam neglectæ Matris faciem velut in ſpeculo repræſentare ſtudent, vt deſerto Meretricis fornice quem ſequuntur in illius amorem complexúmque pelliciant. Quamquam enim magna eſt vis eruditionis ad diſſipandas ex animis hominum errantium tene-

bras, potentiſſimum tamen robur Catholicæ veritatis in integritate vitæ & morum caſtitate conſtitutum eſt, ſine quibus doctrinæ mucro aut hebetatur in hoſtem emiſſus, aut in perniciem reflectitur impellentis. Quis enim ignorat maiora ſemper incrementa Dei Eccleſiam accepiſſe à viris ſanctitate conſpicuis, quàm à doctis & ſapientibus? à quibus in agrum dominicum Zizaniorum ſemina proiecta ſunt, & diu in bonarum frugum exitium conſeruata. Et quis hodiernâ die, vt antiqua prætercam, in Gallia viciníſque Prouinciis tot hæreſûm monſtra cerneret, ſi doctrinam ſcientiámque Nouatorum, vitæ probitas & ſanctimonia non deſeruiſſet? Quare, cùm in vrbes, in quibus iſta familia propagabitur, abſtinentiæ, caſtitatis, pœnitentiæ, pietatis, & aliarum omnium virtutum exempla deportabit; tùm illud efficiet, quod meo iudicio ad tuendam Eccleſiæ dignitatem maximè optandum eſt, vt hæreticos in poſterum pudeat Clericos ac Religioſos Ordines de ſtatu arguere, & ſordes nœuóſque importunè obiicere, quando tam luculenta Catholicæ doctrinæ argumenta in eorum vita-

„ moribúſque deprehendent. Denique „ non erit illorum virtus mediocre ad- „ iumentum ad cæterorum Religioſo- „ rum ſanctitatem promouendam, quàm „ illorum aduerſarij poſtulare videntur. „ Neque enim fieri poteſt, vt vitæ ſolu- „ tioris animum non deponant, cùm „ tantam modeſtiam ac ſeueritatem in „ illis intuebuntur. Quod ſi inſtituti no- „ uitas aut rigor diſciplinæ quibuſdam „ diſplicet, ego plurima, Rex, illorum „ Cœnobia iam pridem in Italia vidi, & „ commodorum, quæ ſeueritas illa pe- „ perit Eccleſiæ, teſtis ſpectatórque fui; „ de quibus ſi coniectura certa futuro- „ rum ſumenda eſt, ex illorum laboribus „ ſpero fructus vberes in totum Re- „ gnum, ſi recipientur, redituros.

Quæ quàm ab eo verè ad huius Ordinis commendationem dicta fuerint, & accommodatè ad eius in Gallia propagationem, ſatis demonſtrant quæ ab illius familiæ hominibus pro Eccleſiæ Catholicæ defenſione & incremento in Gallia geſta ſunt cum laude & fructu, quæque etiam hodiernâ die ſanctè laudabilitérque geruntur. Quare ad eam, quam alteri Ordini conſtituendo ſtabi-

liendóque nauauit operam, narrationem inflecto, doceóque qua ratione illius labor Equitibus Torquatis, quibus à ſancto Spiritu nomen eſt, inutilis non fuerit.

Henrico tertio Regi Chriſtianiſſimo ſceptrum duplex vnâ ſancti Spiritûs ſolenni luce contigit, quod beneficium, vt apertum diuinæ in ſe munificentiæ ſpecimen interpretatus eſt, ita in omnem vertit in vtroque moderandò eiuſdem ſecuturi afflatûs, ſine quo difficile erat in ea temporum perturbatione ac diuerſitate animorum duo illa regna moderari. Ergo vt impetraret, ſimúlque beneficij accepti memoriam commendaret poſteritati, Ordinem militarem, Augerio dirigente, ex præcipua Regni Nobilitate ſapienter excogitauit, omnium qui hactenus in Eccleſia fuerunt clariſſimum, & ad Religionem Catholicam aduerſus hæreticos tuendam augendámque oportuniſſimum, cui à ſancto Spiritu nomen indidit. Siue enim ſpectes eorum, quibus conſtat, nobilitatem, ſiue ſtatuta & leges, ſiue ceremoniarum maieſtatem, nihil reperies eſſe ad hæreticorum infirmandam audaciam,

Henricus Spondanus to. 3. Ann. Eccleſiaſt. ad an. Chriſti 1579. Andreas Fauinus lib. 3. Theatri honoris, & Scipio Plexius in Henrico tertio.

Iacobus Rex Aragonum Barcinone Saron Ordinem inſtituit ſanctæ Mariæ mercedis anno 1218 vſus cõſilio Raymundi Peniaforti qui tunc Regi à confeſſionibus erat.

Spond. to. 1 Annal. Eccleſiaſt. ad an. 1218.

& ad Catholicæ religionis confirmandam pietatem commodius. Conſtat enim octoginta quinque de prima totius Regni nobilitate hominibus, purpuratis Patribus quatuor, & totidem Epiſcopis vel Archiepiſcopis quibus Rex ex Inſtituti canone & Sacramento inaugurationis præſidet. Illi autem fidem ſuam Religioni Catholicæ, Apoſtolicæ ac Romanæ defendendæ ac conſeruandæ ſacramento ad id deſtinato obſtringunt, ferunt crucem auream ex collo ac veſtibus, quotidiéque ſtatas Deo ac Spiritui ſancto preces perſoluunt. Quatuor ſolennibus anni diebus ad ſacram accedunt Euchariſtiam ex peculiari inſtituti Religione, alia Chriſtianæ pietatis munera obeunt, quæ cum ſint cum excellenti pietate & Catholicæ rei vtilitate coniuncta, facile fontem, vnde profecta ſunt, indigitant, & eius prædicant bonitatem.

Et quamquam non ignoro ab non ignobili huiuſce temporis hiſtorico ſcriptum, hanc Ordinis Spiritus ſancti inſtitutionem ab Henrico fuiſſe deſumptam ex codice ſibi Venetiis oblato, & paulò poſt flammis, vt ait, conſumpto cùm ex

Scipio Plexius in Hẽrico tertio.

Polonia in Galliam rediiſſet, in quo affirmat ſtatuta contineri Ordinis eiuſdem nominis ab Ludouico Siciliæ & Ieroſolymorum Rege inſtituti: non eſt tamen vnius hominis vel codicis apud me tanta autoritas, vt aliorum eiuſdem ſeculi ſcriptorum fidem labefactare poſſit, quorum nemo codicis iſtius meminit, & vox eſt communis factæ inſtitutionis eo modo quo à me peracta dicitur. Accedit quod ſtatuta, cerimoniæ, ritus, intentio, finis, aliæque circumſtantiæ illius Ordinis, qui dicitur ab Ludouico excogitatus, & ab hiſtorico referuntur, ſunt illis quæ tribuuntur Henrico ita diſſimilia, vt quiuis ex eorum lectione iudicare poſſit ex eodem fonte non eſſe profecta. Et vix eſt iudicio vel mediocri prædicus, qui credere poſſit aut perſuadere ſibi, Regem Galliæ prudentiæ ac doctrinæ laude præſtantem, abundantem viris eruditis ac ſapientibus, qualis erat Henricus, exterorum labore ac facultatibus vſum fuiſſe in re quam ſibi perhonorificam duxit ſemper, & moleſtè tulit, cuicumque alteri delatam.

CAPVT VI.

Pia quædam opera concionando inſtituit.

QVOD vulgare iam eſt, & in maioribus Galliæ ciuitatibus vſu receptum pietatis laudabile genus, quo pauperes & vaga vrbium mendicabula à ſtipe vicatim oſtiatímque flagitanda prohibentur, & vnius domicilij ſeptis coërciti ad aliquot dies ære publico ſuſtentantur, nec dimittuntur niſi aliquo viatico communiti, hoc Lugduni primùm ab Augerio Gallis traditum fertur; deinde in alias vrbes imitatione propagatum. Cauſa fuit præter ſummum Patris in pauperes amorem, quem in omnibus penè concionibus oſtendebat, ingens illius populi in vrbe viantibus opportunâ exercitus: qui quotidie diuitum auribus ſiue in templo, ſiue domi obſtrepebat, & precantium incommodabat attentioni. Cui malo cùm idoneum remedium quæſitum eſſet, coactâ pecuniæ vi magna Augerius in vrbe domicilium excipiendæ eiuſmodi plebeculæ curauit ædificari, & iis legibus deuinxit, quæ hodie ingenti pauperum

ſolatio & maiori quiete ciuitatis obſeruantur. Illius etiam in egenos voluntatis ac beneficentiæ partus ſunt Orphanorum duo in eadem vrbe diuerſa Collegia, in quibus imbecillæ puerorum ac puellarum ætati cultu inſtitutionéque parentum deſtitutæ magnificè conſulitur. Pueri enim tecto à puellis diuiſi ad definitum tempus aluntur, & Chriſtianis imbuti moribus pro cuiúſque ingenio variis artibus informantur. Nam qui præceptoribus poſt prima Latinæ linguæ tradita rudimenta indolem literis & eruditione dignam oſtendunt, Mineruæ liberialiori conſecrantur: qui autem pinguiori ſunt ingenio & craſſiori, variis applicantur artibus, quas poſtea inde cum aliquo pecuniæ ſubſidio demiſſi publicè profitentur, facili vitæ ſuſtentandæ compendio & minore incommodo ciuitatis.

Eadem penè circa puellas cura adhibetur, quæ ſub Diuæ Catharinæ tutela in alia domo nutriuntur. Nam poſteaquam legendi, ſcribendi, numerandi artem aliáque id genus ſexûs propria didicerunt; illis trecentorum aureorum numerata dote Maritus emitur, vel, ſi

fortè malunt in religioſa domo caſtitatem colere, locus aliquis in ſacrarum Virginum cœnobio reperitur. Fuit ille quoque concionum eius in eadem ciuitate fructus, quòd poſt maturè detectam & extinctam in ea hæreticæ ac nefariæ conſpirationis flammam, cùm Noſocomia, quæ frequens adibat, neglecta, atque à rebus ægrotantium valetudini neceſſariis deſerta reperiſſet, matronæ nobiles amplius ducentæ, illius hortatu ac directione, Operi ſancto & vtili primordium dederunt, in quo bis quaque hebdomade ægris miniſtratur à pluribus, & ad ſubleuandam eorum inopiam ac miſeriam opportuna ſubſidia conferuntur. Quæ vſque adeò grata cælo, & infirmis vtilia iudicauit Antonius Poſſeuinus vir doctrina & religione maximis haud impar, vt cùm triennio poſt Borbonij Cardinalis accitu, Rothomagi per ſacrum Quadrageſimæ tempus in principe templo Eccleſiaſtem ageret, ſodalitatem ducentarum matronarum illius more quam Augerius Lugduni condiderat, inſtituerit, quæ & Noſocomium piè frequentérque inuiſerent, & re manuque iuuarent impen-

Hiſtor. Societ. part. 3. lib. 3. n. 161.

Lib. 6. n. 55.

dio pueris puelliſque conualeſcentibus in tuto locatis.

Iuſſus ibidem cum aliquot Doctoribus Bibliopolarum tabernas recognoſcere, infinitam ſecreuit librorum vim peſtilentium, ex quibus ingens aceruus, nocte Domini Natali incenſus tres dies lætum bonis omnibus ſpectaculum præbuit. Ad hæc Magiſtratibus ſeriò rem capeſcentibus, Catholicoque populo ſancto fidei ardore ſuccenſo, hæreticorum fana æquata ſolo: miniſtrorum pars in vincula coniecti, quidam necati, alij expulſi: præter quos etiam vndeuiginti Pædagogi exterminati, qui vel palam, vel clanculum improuidis adoleſcentium mentibus inſtillabant venena impietatis. Cui malo vt iretúr obuiam à primo Iuſtitiæ vt vocant Præſide, promulgatum eſt edictum quo iubebantur quotquot eſſent in Vrbe reliqui, commiſſos ſibi pueros, litterarum & Catechiſmi cauſâ ad Societatis Collegium ductare. Quæ res accedente Sectariorum impulſu tam acriter & acerbè illorum pupugit animos, vt ſine mora ad queritationes & calumnias conuerſi, præcipua Gymnaſij capita, ad Iudicum

publica tribunalia pertraxerint, quibus auditis, non tantum vim ſuam edictum retinuit, ſed Senatus increpitos reprehenſoſque ita dimiſit ab ſeſe, vt peculiare illis patrocinium promiſerit, & qui in Collegio tanquam inquilini habitarant hactenus, certo vectigali attributo veri ac legitimi poſſeſſores coloniquе ſint effecti.

His non abſimile beneficium eſt quod in ſtudioſos Adoleſcentes contulit Lutetiæ, qua in vrbe Henrico tertio Regi percommodè ad eorum in literis ſuſtentationem perſuaſit, vt in Collegio Claromontano duodecim pauperes aleret, vt beneficij loco Regi prolem quam auidè deſiderabat fuſis precibus impetrarent. Quorum etſi, Deo aliter decernente, preces irritæ fuerunt, non tamen irritum beneficium fuit: ſed etiamnum hodie ad eorum inſtitutionem, ac emolumentum, incolume perſeuerat.

Poſſent his annumerari redituum annuæ penſiones, quas in emolumentum Lugdunenſis Noſocomij pluſquam aureorum ſex millibus auxit, & extructæ pluribus locis pluſquam triginta diuerſarum artium Officinæ, quarum cenſus

locupletes ad pauperum ſubleuandam inopiam traduxit, aliáque his ſimilia, quæ leuiora ſequenti ſatis grauia videri poſſent: mihi verò ad maiora currenti viſa ſunt tantùm hîc obiter perſtringenda, vti ſunt varia munera, quæ deferri atque offerri ab Henrico tertio diuerſis Italiæ & Galliæ Templis curauit Augerius, & eſt illud eximiæ caritatis officium opportunè Lugdunenſium deputatis ad Carolum Regem in aula redditum, pro expellendis hæreticis ab oppido ditionis Eccleſiaſticæ quod ad audiendum ſuorum Miniſtrorum conciones vſurparant. Nam Durbius Deputatorum vnus & Lugdunenſis hiſtoriæ Scriptor teſtatur id Augerij zelo ardenti & frequentibus ad Regem Reginámque Matrem admonitionibus, non modò ſuſceptum, ſed confectum prorſus, & ad optatum finem perductum.

Horatius Turſellinus cap. 4 lib. 5. Hiſtor. Laureta. & Hennequinus Epiſc. Rhedo. in Præfatione ad lib. Confeſſ. D. Auguſtini.

Capite 61. libri tertij.

CAPVT VII.

Diuerſa Collegia Societati ſuis laboribus parit.

DE Lugdunenſi & Turnonenſi dictum ſuperiùs, quibus anguſtiis ac

perdificilibus in rebus poſtea diuerſis temporibus opportunè adfuit. Toloſanum quod eſt apud Tectoſages Galliæ Narbonenſis populos, iam ab anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio cœptum erat per eos qui à Palmerienſi vicino Collegio ab hæreticis pulſi, Toloſam à Ciuibus euocati duce Ioanne Pelletario venerant, & in derelictis Monialium Diui Auguſtini parietinis conſtituti ſcholas exiguæ iuuentuti aperuerant; ſed non, niſi Augerio primùm in ea vrbe concionante, domicilium certum & colendis Muſis idoneum òbtinuit.

Fuit id Hæretici Mercatoris Bernoſij capax & celebri loco poſita domus, quam Regis edictum tunc aduerſus hæreticos promulgatum, domino filijſque eodem quo parens morbo laborantibus eripuerat, atque in poteſtate reliquerat Catholicæ Ciuitatis, quæ ex Augerij ſociorúmque primis laboribus odorata fructus quos iuuentuti Societas IESV afferre ſolet, ædes illas in Collegium mutauit.

Hiſt. Soc. par. 3. lib. 2. n. 55. & 56.

Quamuis enim ieiunij verni tempore, minus opportuno frequentiæ loco, diceret, tamen ad eum Nobiliſſimi quique

confluebant,

confluebant, ac multitudinis promiſcuæ plus quàm ſena millia, nec minus mille Iuuenum Academicorum, quorum plerique fidei Catholicæ ſe reddiderunt. Et quoniam bonæ ſementi felix incrementum dabat ex cælo Deus, eaſdem in mediam vſque æſtatem Senatu & bonis optantibus ter in hebdomada continuauit conciones, interiecta binis quibuſque diebus poſt meridiem Catechiſmi explicatione haud minore auditorum concurſu. Quæ res ſtudia omnium Ordinum ciuitatis in Augerium ſupramodum concitauit. Nam Eccleſiæ primariæ Canonici, contenderunt enixè vt in ſuo Templo in annum proximum Eccleſiaſtem haberent ſicuti reipſa contigit. Et Academici coacto inter ſe Concilio communi conſenſu cùm in ſuum numerum cooptare decreuiſſent, duos ex primariis Profeſſoribus delegerunt qui cum illuſtri & ſplendido comitatu ſolemnia Doctorum inſignia ad eum nihil tale cogitantem deferrent. Poſt verba ſingularis humanitatis & obſeruantiæ, quibus rogabant vt non tantum volens bonuſque oblata reciperet, ſed etiam perſuaderet ſibi nihil Toloſanæ Academiæ fa-

ċturum iucundius quam ſi ſe illi adiungeret. His quamquam Emundus nonnihil commotus quid reſpondere poſſet, non haberet ad manum, tamen vbi ſe collegit tantiſper, & raptim mentem ad Deum ſuſtulit, paucis officioſè redditis, cùm aſſeruiſſet neminem Societatis, iniuſſu Præpoſiti Generalis poſſe eiuſmodi inſignia admittere, ne inter viros humilitatis profeſſores aperiretur ambitioni aditus, rogauit vehementer vt tam benignam & promptam voluntatem ab ſe in totam Societatem in qua poſtremus eſſet, transferri paterentur, ſicque illos per hanc animi demiſſionem & modeſtiam ab ſe dimiſit, vt beneficij remiſſionem pro beneficio ingenti Academia tota receperit. Nec minora Senatus ac Ciuium Toloſatum fuerunt in illum beneuolentiæ edita pignora qui collecta pecunia ſane grandi, frementibus licet hæreticis, & auerti ad alienos communia bona contra ſtatuta Regni nequicquam querentibus, domum quam ſupra indicaui coemerunt, & in perpetuum Societati addixerunt, tam liberali omnium Catholicorum propenſáque voluntate, vt ſtatim in eam ſit commigratum, &

vſitata Societatis munia docendi cœperint exerceri.

Verum languente vi Edicti, morte Caroli Regis, & alio quo poteſtas fiebat hæreticis in poſſeſſiones ac bona reuertendi in eius locum ſuffecto, ciuitati Sociiſque difficile negotium fuit cum hæredibus, domum ex Edicto à Senatu repoſcentibus. Ea tamen fuit Augerij concionum vis & ab eo relicta de Societatis eruditione doctrináque opinio, vt eam Ciuitas pecuniâ ab illorum prætento iure penitus exemerit, adhibitáque Senatûs autoritate Societati perpetuò retinendam tradiderit; quod per loci conſecrationem & templi, quod ſolum deerat, ſubſtructionem ſpem omnem ædium recipiendarum hæreticis præcidit. Qua in re tam prolixa fuit Toloſatum liberalitas & piorum Catholicorum ſubſidium, vt templum exiguo tempore ſatis amplum conſtiterit, & in Beati Ioannis Baptiſtæ peruigilio conſuetis Eccleſiæ ritibus fuerit inauguratum.

Neque verò eſt hîc omittendum, quod Toloſates ſuis concionibus ita permiſcuit, vt vniuerſitas per Legatos inſignia Doctoralia ad eum ſponte miſerit, quæ (Bibliotheca Scriptorũ Soc. Iesv, litt. E. tit. Emundus Augerius.)

cum ille dixiſſet, non poſſe ab homine Societatis IESV inconſulto Generali admitti, beneficij remiſſionem Academia pro beneficio duxit, & eius laudauit modeſtiam.

Sequitur Burdigalenſe in Aquitania, cuius incunabula & progreſſus meritò ſibi Augerius vendicat. Burdigala vrbs eſt opibus, nobilitate & frequentiâ tractùs Aquitanici facilè princeps, in quam cum per ſupinam Chriſtianæ doctrinæ negligentiam, & opum quibus abundat, luxuriem hæreſis penetraſſet, & inſtar malarum ſtirpium quotidie nemine repugnante creſceret, quibuſdam nobilibus ac primariis ciuitatis viris iam ab anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono quærendi remedij cogitatio in mentem venerat. Et quoniam ex propinquarum vrbium vicinitate didicerant quantum ſocietas in ea re poſſet, captum erat iam à Iuratis (ij ſunt Conſules vrbis, vulgò à Iuramento quod præſtant, ita nominati) ſcribendi ad Prouincialem Franciæ Conſilium pro ſociis in vrbem mittendis Collegióque ſtruendo ſocietatis: Sed à Dæmone per Miniſtros hæreticos impeditum, duobus ſe-

mè annis ſine vllo fructu in tenebris delituit; donec anno 1571. temporis diuturnitate, & morbi creſcentis difficultate corroboratum, erupit conatu maiore, necnon exitu feliciori. Archiepiſcopus enim ratus grauiſſimum eſſe in mora periculum, aliò Iuratorum conſilium vertens literas ad Emundum dedit, quibus expoſita Burdigalenſium propensâ voluntate rogabat enixè, dum de Fundatione Collegij conſtaret, ipſe opem gregi ſuo in proximum exitium concionum inopiâ ruenti commodatum veniret, mille ducentas eſſe in vrbe familias præter confertam externorum hominum turbam, ad quam iam impetigo lethifera adhæreret, timere ſe, ſi cura in aliud tempus differatur, ne lues ex aliorum congreſſu & innato genti noua diſcendi ſpectandique pruritu multo plures inuaderet, totamque breui tempore perderet ciuitatem. Nihil hoc audito procliuius fuit, quàm vt Præſulis voluntati & vrbis neceſſitati obſequeretur. Itaque relicta Toloſa Burdigalam feſtinus accurrit, & Antiſtitis iuſſu ad dicendum apud Catholicos & lupos abigendum aſcendit. Binæ conciones

D'Arnalus in ſuis Annalibus Vrbis Burdigalenſis ad an. 1572.

ipſi quotidianæ, ternæ, quaternæve frequenter, in quibus carpebat liberè Catholicorum vitia, prauóſquę in mores inuehebatur acerrimè, & hæreticorum coarguebat inſaniam, tanto eloquentiæ apparatu, & vbertate doctrinæ, vt conuenienti ad audiendum multitudini locus deeſſet in templis & à Senatu hora ſcholarum conſueta iuuentutis rogatu mutata ſit, vt ei audiendo intereſſet. Nec linguæ plectro diſſidebat actuoſa manus, quidquid enim ab familiari Dei colloquio & dicendi munere vacui temporis reſtabat, id partim in Noſocomiis ægrotos conſolando, partim in templis confeſſiones audiendo, partim in ijs quos in concionibus oratione ſua perculerat Deo reconciliandis conſumebat.

Reddam paulò pòſt capite peculiari ſpolia & victorias, quas de hæreſi ea in vrbe reportauit, nunc ſatis erit ex eiuſdem Collegij Annalibus recenſere Ciuitatem eius oratione ac vitæ integritate confirmatum in veteri Maiorum Religione ſanctiorem viuendi ac ſentiendi formam ſuſcepiſſe; templa, quæ penè deſerta fecerat pietatis ſolitudo meliori cultu reformata frequentaſſe, altaria,

quæ cum Caluini harls commutarat, re-uiſiſſe; Pœnitentiæ & Euchariſtiæ my-ſteriis, quæ Catholicorum vecordia & hæreticorum garrulitas, rariora & obſcu-riora reddiderat, ſuum ſplendorem red-didiſſe. Atque vt pietatem inchoatam eodem fonte ex quo nata fuerat, irriga-re poſſent, & ad ſequuturam poſtero-rum ætatem propagare, reuocata Colle-gij fundandi voluntate, & Franciſco Bo-lone Senatore, ampliſſimo ſe vltrò ſuáſ-que facultates offerente ad Regem Ca-rolum ineunte anno 1572. legatos mit-tunt, de aduocanda Burdigalam ſocie-tate, & conſtruendo Collegio cum Rege tranſacturos.

Audiuerunt hæretici, & damna ſua ex vnius compendiis præſagientes nihil non tentarunt, vt quemadmodum iam ante fecerant, aduentantes in Coruo-rum ruinam Aquilas crocitando propul-ſarent. Erat tunc in Comitatu Regis Gaſpar Colignius Eccleſiæ hoſtis, & Cal-uiniſtarum dux & caput, ad quem pro-tinus literas de legatione ſuſcepta mit-tunt, monentque actum eſſe de vrbe & Dei ſelecta plebe ſi Hiſpanis Galliæ ho-ſtibus pacis & quietis publicæ perturba-

toribus in vrbe ſit locus; vnius aduentu iam totam Ciuitatem eſſe commotam; & ad defectionem ſolicitatam, quotidie expectari plures & vocari; rogare, ſi Dei populum amet, vt peſtem illam ab vrbe, & tota Aquitania amoliatur.

Nihil erat opus ardenti flammâ aut currenti calcaribus, hoc nuntio lætus extemplo Regem adit Colignius; Burdigalam Clauem Regni & Hiſpaniæ terrorem monet patere Hiſpanis hominibus; Ieſuitas quos omnes Hiſpanos eſſe conſtabat, aut rerum Hiſpanicarum Adminiſtros in eam introduci; plebem iam eorum ſermonibus perturbatam ad diſſenſionem diſcordiámque concitari; periculum eſſe, ſi non vrbe pellantur, ne hoſtem introducant in mœnia & totam Aquitaniam Hiſpanorum poteſtati ſubiiciant. Cæterum vrbem olim literis doctrináque plenam non ita Collegiis & Doctoribus eſſe vacuam, vt cum tanto periculo hominibus doctrinæ ſpecie ſeditionem & incendia ſecum ferentibus aperienda ſit.

Intellexit hominis mentem Rex ſapientiſſimus, vt ex oris ſermone de pectoris interno vulnere prudenter iudi-

cauit. Etſi enim iam arctè Legatorum poſtulatis decreuiſſet annuere, & locum extruendo Collegio in Diui Iacobi prioratu percommodum aſſignaſſet, ne tamen non tribuere aliquid Colignij orationi videretur, Collegij aditum ad ſolos indigenas Galloſque reſtrinxit; Itaque Catholicorum petitioni fauit, vt etiam hæretici viderentur aliquid impetraſſe.

Intereà ad vrbem cum Regiis literis triumphantes Catholici reuertuntur, & quamprimum loco à Rege præbito Bolonis pecuniâ Collegium inchoatur. Sed cum Ciuium in Societatem ardenti voluntate lentius ſegniuſque ſubſtructio procederet, vt non facilè moram ingens amor patitur, ita ad mitigandum vrbis deſiderium miſſi à Præfecto Remiges, qui gratis complanando loco & operi maturando manum commodarent. Volebat & Magiſtratus è publicis cuſtodiis ſocios adiungere, niſi ab Augerio eſſet prohibitus, verente ne nouus iſte feruor Societati honoríque Fundatoris notam aliquam aſpergeret. Nihilominus ea celeritate creuit ædificium, vt eodem anno, Octobri ineunte adductis à R. P.

Emundo Haio Societatis IESV in Gallia Prouinciali Præceptoribus, Collegium in octo Claſſes diſtributum Ludouico Richeomo iam tùm de rectè inſtituendâ iuuentutis forma egregiè apud ſenatum diſſerente, inchoatum fuerit, tam ſecundâ omnium Ordinum lætitiâ & gratulatione, vt Prouincialis illum ſecundarum rerum conſenſum verterit in omen ſecuturæ tempeſtatis, dixeritque in familiari ſermone, illa primordia Collegij tam felicia ſibi placitura fuiſſe, ſi ea vehemens aliqua tempeſtas præuertiſſet, quod ſane difficultatum, quæ poſtea Collegium obſederunt, præſagium fuiſſe, euentus declarauit.

Verùm qui præuenerant paulò antè Carolus Sagerius & Bertrandus Roſerius cum Claudio Violano Sacerdotes dum ad litterarias exercitationes inſtruuntur ſcholæ, partim primam ad Timotheum Pauli epiſtolam explicare de ſuggeſtu, partim diuini verbi prçconium per templa diuerſa, præeunte Augerio, circumferre cœperunt, tam felici prouentu, vt vnius menſis ſpatio mille ducenti hæreticas opiniones cum orthodoxis & Catholicis commutarint.

CAPVT VIII.

Burdigalenſi Collegio extremâ laboranti inopiâ ſuccurrit.

EGREGIE præter opinionem feſellit hæreticos in erigendi Collegij facultate ab Rege poſita reſtrictio, quâ nemini niſi Gallo in eo docere fas erat. Nam cum Ieſuitas omnes ſibi falsò perſuaſiſſent eſſe Hiſpanos, mirati ſunt à tanta indigenarum multitudine patrio ſermone ſua mendacia domi foríſque docendo, ac concionando redargui, multóque maiori clade, quàm ſi peregrinis externíſque hominibus aditus patuiſſet, qui ſequenti anno ab Rege eſt impetrátus. Quare ſe deceptos eſſe, ſed ſeriùs, vt olim Phriges agnouerunt, doluerúntque vehementer Societatem, quam Aquitaniâ totâ prohibere conabantur, Ciuitatis mœnibus tantâ omnium lætitiâ atque vtilitate retineri. Quod cum ſæpe ex eorum ſermonibus & ſtructis naſcenti Collegio inſidiis innotuit, tum maximè anno poſt eius initia ſecundo cognitum eſt, cum ad eius firmitatem & maiorem dignitatem de illo in Aca-

demiæ perantiquæ corpus adſciſcendo, rogante Augerio, deliberatum eſt. Tum enim odium in furorem verſum, occultæ inimicitiæ in apertas diſcordias minâſque tranſierunt.

Nam palàm Ieſuitas appellare ſeditionum faces, vrbium venenum, corruptelam iuuentutis, mancipia diuitum, theſaurorum ſpongias, carcinomata literarum, Regni hoſtes, ſepulchra Academiarum, quibus tamen conuiciis non ſunt deterriti ſapientes Academici à conſilio, ſed ſcriptis tabulis manu publicâ Collegium in partem Academiæ ſuæ vocauerunt. Atque is erat Collegij Burdigalenſis ſub Augerij tutela ſtatus, quem eo abſente, & Toloſam reuiſente nata tempeſtas ex Fundatoris morte penè diſturbauit.

Renâtus à Fonte.

Mortuo enim Bolone Fundatore Collegij, frater eius Helias vir opibus & autoritate potens grauiter apud Senatum de patrimonio ſibi fundatione illâ erepto queſtus, litem tenero & vix è cunis exeunti longè moleſtiſſimam intentauit, quâ ſociis, dum negotium diſceptaretur reditibus interdictum, Collegiúmque reliquis vitæ ſubſidiis deſtitutum ad ex-

trema penè redactum eſt. Quamquam enim piorum liberalitas aliquo modo illius egeſtatem conſolabatur, ea tamen erat interdú neceſſariarum rerum penuria, vt diu eo in ſtatu permanere non poſſe videretur, ſine magna ſui diminutione aut ruina. Quæſita ſunt ab amicis ſubleuandi remedia, viæ quædam ſapienter à multis indicatæ, ſolus Augerius re Burdigalenſium literis cognitâ retinendi artem inuenit, ita vt meritò ab eo denuò conſtitutum eſſe Collegium dici poſſit.

Reuertebatur eodem ferè tempore Poloniæ Rex ad Regni ſibi Caroli fratris morte relicti gubernacula pertractanda, iamque Lugdunum venerat, cum vocato Augerio & perbenignè habito Collegij adeundi & audiendi ſacri in æde Collegij promiſſionem dat. Quod cum vti ſpoponderat, ita ſequenti die accidiſſet, longúmque in priuato conclaui & familiarem de ſuis rebus ſermonem cum Augerio texuiſſet, in digreſſu, Collegij Burdigalenſis cauſam ita apud eum familiari Apologo exorſus eſt. Non ſolent diuites & opulenti, Rex, pauperum tecta viſere, quin apud

eos magnificentiæ ſuæ ac liberalitatis veſtigiũ relinquant. Ego paucis ab hinc annis Burdigalæ quæ Maieſtatis veſtræ ciuitas hæreticis abundat, nidum quindecim aut viginti Societatis noſtræ pullis Fratris mandato conſtruxeram, vt accedentibus per ætatem viribus coruos inde roſtro manibúſque pellerent. Verum contigit, vt abſente Patre & nutrice mortuâ in tenella ætate miſelli dato ſibi victu, cibóque priuarentur. Nunc ſuam egeſtatem & orbitatem deflentes Maieſtatem obſecrant, vt ſe aduerſus hoſtes, qui bona ſibi relicta poſſident, tueatur, ne nidum implumes deſerant, & fuga palmas amittant, quas iam de Coruorum grege cœperant reportare.

Hic ſubridens Rex cum aulâ vniuerſa, & epilogum ſagacitate præuertens, cùm pullos in vrbe retinendos fouendóſque eſſe cenſuiſſet, vocato Cãcellario Regni, Diui Iacobi prioratum, in cuius area conſtructum fuiſſe Collegium didicerat, eodem ipſo die Augerio tradidit, ad liberandum inopiâ Collegium, ſociósque in vrbe retinendos; quorum laboribus & pugnis multitudo Coruorum ita diminuta eſt, vt cum in ingreſſu mille du-

centas hæreticorum familias reperiſſent, in egreſſu qui tandem anno 1589. contigit, vix paucæ auderent palam hæreſim profiteri.

Interim Augerius abdicato gubernandæ prouinciæ onere, & in P. Claudij Matthæi humeros reiecto Regem cœpit comitari, concionandique munus quod apud fratrem Carolum exercuerat, auxit altero longè difficiliore, quo Regis conſcientiam cum iubebat, dirigendam ſuſcepit, & eius confeſſionibus audiendis in ſalutari Pœnitentiæ ſacramento præfuit. Sed ante eius in Aulam aduentũ Prouincialatu iam liber compoſitis Camberij rebus Moriacum in Aruerniæ montibus ſibi ad requiem legit. Verùm vt eſt gnauorum otium, ignauorum otio efficacius, inde Aureliacum excurrens, ita populum piâ eloquentiâ concitauit, vt nullo templorum capiente celebritatem concionis, in foro neceſſe fuerit verba ſub diò facere. Nec longa quies permiſſa eſt. Adiuuanda Collegia Rutenenſe & Toloſanum quæ magnopere ab rerum inopia laborabant magno ſtudio accitus, difficultates vtriuſque expediuit feliciter; & Lemouicum tantiſper ob publi-

Hiſt. Soc. p. 3. l. 7. n. 91.

cas res & valetudinis causâ digreſſus, ibique maiore hebdomada concionatus, hæreticorum trecentos ſexaginta ad Catholicos reuocauit, cœnobiumque Virginum inſtituit rebus curatis omnibus vnde vicenis quinæ alerentur.

CAPVT IX.

Congreditur cum hæreticis, & egregia de hæreſi trophæa reportat.

BEATVM Antonium Patauinum ferunt ob frequentem congreſſum, quem cum hæreticis ſui temporis habebat, & nobiles victorias quas de hoſtibus Eccleſiæ dicendo reportabat, Malleum hæreticorum appellatum fuiſſe, quod nomen etſi multis poſteà commune, tamen Augerio aduerſus Caluiniſtas in Aquitania pugnanti, & de illorum Caſtris prædas abigenti nemo iure negauerit ſapienter eſſe tributum. Siue enim ſpectetur illius in dicendo labor, ſiue pugnæ & contentiones, ſiue parta diuerſis in locis trophæa, ſiue numerus eorum, qui hoſtium ſigna deſeruerunt, prorſus hoc nomine dignus videtur. Plures quàm quingenti ſupra mille à Caluini ſchola

D'Arnalus in Annalibus Ciuitatis Burdigalenſis ad an. 1572. & Ludouicus Richeomius in litteris annuis Collegij Burd. Soc. Iesv.

ſchola ad Chriſti veri Paſtoris caulas eo duce redierunt. Inter quos omiſſa multorum virorum inſignium conuerſione duarum nobilium Matronarum præcipua fit mentio, quarum altera marito reluctante Chriſti corporis viaticum more Catholicorum ante mortem ſuſcepit, altera maluit æternum cum marito diuortium facere, quàm à Chriſti latere, quod eſt Eccleſia, per hæreſim ſeparari. Et in ſolemniis Paſchalibus, cum ſuperioribus annis vix ſena hominum millia, ad diuinam menſam cenſi fuiſſent, ad ſeptemdecim millia, eo anno quo Burdigalæ conciones habuit, ſunt numerati, eam ob rem hęreticis tanto dolore & metu amittendæ prædæ, perculſis, vt collocatis ad Eccleſiæ ianuam, in qua Augerius verba faciebat ſuo de grege ſatellitibus, explorarent ſedulò, nùm quis è ciuibus iam à ſe faſcinatis, ad Euangelica amuleta confugeret: ac ſi quem deprehendiſſent, illico anathemate, ſcilicet formidando à cœtibus ſuis arcerent, ne ſalutis viam quam reperiſſent ipſi, aliis ſuo exemplo monſtrarent. Librorum continentium hæreſim tanta etiam copia flammis tradita eſt, eo concionante, vt numerus

Hiſt. Soc. par. 13. lib. 8. n. 138.

eorum, qui de ſuggeſtu deſcendenti vltrò afferebantur, aut qui Bibliopolis Senatuſconſulto erepti ſunt, ad ſummam aureorum viginti millium creuiſſe feratur. Iamuerò quis prælia numeret, quæ cum præcipuis contrariæ doctrinæ doctoribus ſuſtinuit? quis victorias, quas de illis gloriosè retulit? Trium ego narrationem perſequor, ex quibus facilis erit coniectura cæterorum.

Primum partim cum Petrocorienſi Rinaſſione viro Græcè ac Latinè inſigniter erudito pro oſtentatione doctrinæ, partim cum hæreticorum Primipilis pro caſtimoniæ defenſione ſuſceptum eſt. Locus fuit Præſidis cuiuſdam opulenta & amica domus, ad quam periculi potiùs faciendi quàm prandij ſumendi causâ vocatus Pater (quanquam & ad illud à Præſide inuitatus fuerat) egregium reliquit apud conuiuas tùm hæreticos tùm Catholicos ingenij & doctrinæ monumentum. Nam cum inter edendum Rinaſſo ex memoriæ penu, quâ multùm pollebat, conquiſitas ex variorum autorum Græcorum ac Latinorum codicibus politioris doctrinæ diuitias ad Augerium percellendum deprompſiſſet, quiddam

prodigio ſimile fuit, audire illum ſtatim ac verſum inchoaſſet Rinaſſo, ſubitò duas aut tres paginas ſequentes illius orationi ſubnectentem, & veterum Patrum ſcriptis in quorum lectione erat apprimè verſatus, ſilente Aduerſario, & ei palmam vltrò porrigente, confirmantem.

Quod cùm omnibus ſtuporem attulit, qui diſputationi intererant, tùm in hæreticis eius ingenium & vim memoriæ admirantibus vehemens reliquit ad ſua caſtra pertrahendi deſiderium. Finito igitur prandio ſiue illum expugnari pecuniâ poſſe crederent, ſiue à Cacodæmone ad id vrgerentur, conſuetas machinas, quibus imprudentium Religioſorum ac Sacerdotum ſanctitatem aggredi ſolent, Augerio admouent; & quâ parte fortè iam multis ruinam attulerant, eâdem illum percutere aggrediuntur. Res non erat, quæ Catholicorum aures poſceret, aut facilè pateretur aſpectum, quare ſimulatâ cum eo de ſuis erroribus conferendi voluntate, à reliquo Catholicorum cœtu tantiſper auellunt, & oratione ad fallendum compoſitâ, primùm Eccleſiæ Romanæ abuſus

ac turpitudinem exprobrant, deinde in Monachorum vota debacchantes, ei nihil ad felicitatem deeſſe affirmant, præter ſpecioſæ mulieris conſortium, ſpondere ſe, ſi relicto vanæ ſuperſtitionis cultu & idololatria Romanæ ſedis ad ſuas partes tranſire vellet, formoſiſſimam ac locupletiſſimam cum mille nummorum cenſu propediem reperturos. Propter quæ cum eos indignos omni ſermone iudicaſſet, conuerſus ad Catholicos eodem vultu, quo ſi nihil omninò dictum eſſe meminiſſet, modeſtè depreſsâ in terram ſcribentis more dexterâ, tres pueros, quorum vnus ſummam in Burdigalenſi Senatu dignitatem tenet, ad ſe accerſit, & blandè ſalutatos. Agite, inquit, caſtæ puræque animulæ, orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam Virginum parenti recitate, & impertito ſingulis ſui Catechiſmi exemplari, hoc hominum genus, ait, hæreticos indigitans, præceptis ſalutaribus informate, quibus eſtis doctrinâ & eruditione ſuperiores. Quo facto hæreticorum fraudes prudenter diſſimulans irritas reddidit, & ſimul docuit quid in huiuſmodi certaminibus ad hoſtem ſuperandum facto eſſet opus.

Secundum quod cum Apoſtata Sacerdote geſtum eſt victo æquè ac victori fuit vtile. Is fortè ſimili laqueo implicitus quem Augerio tetenderant, & in hæreſim pertractus cum ingenio eſſet excellenti Geneuam miſſus ad Caluinum & Beſam fuerat, & quorumdam opibus in eorum diſciplinam traditus, duos annos vtrumque cum magna expectatione tuendæ nouæ doctrinæ audiuerat, nec multò antequam Augerius Burdigalam videret, luſtratis omnibus Angliæ Germaniæq; hæreticorum ſcholis ad vrbem redierat gregis nefarij ſceleratus Opilio futurus. Iámque ſpe præconceptâ eruditionis inflabat animos hæreticæ multitudinis, cum incidens in Augerium & verâ Chriſti doctrinâ imbutus ſui conuerſione, & cum Eccleſiæ reconciliatione expectationem Gregis non modò fefellit abdicandò hæreſim, ſcriptáque cremandò quæ à Caluino Beſáque Magiſtris acceperat; ſed fraudes, conſilia, ſcelera, verſutias hæreticorum publicandò in concionibus, quarum fuit artifex egregius, eos pœnè ad extremum dolorem & iracundiam addixit.

Tertium congreſſum Aduerſarij re-

pentinus interitus non minùs admirabilem quàm formidoloſum reddidit. Marennis (Vicus eſt Brouagio leucâ vnâ aut alterâ diuiſus) Miniſter quidam pro tuenda cœna Caluiniſtica, propoſitiones de Euchariſtiæ Sacramento blaſphemas falsáſque ediderat; quæ cum ad aures & oculos veniſſent San-Ieucij Brouagij Gubernatoris, hominem imprimis Catholicum & nobilem pupugerũt acriter, & ad vlciſcendam illatam Chriſto iniuriã vehementer accenderunt. Quamobrem illicò Leopardo (hoc erat Miniſterio terrificũ nomen) diem curat indici, quo apud ſe corã propoſitas aſſertiones & blaſphemias tueretur, ſimúlque Burdigala Augerium Bruopolim euocat, Conuenitur dicta die, magno Catholicorum & hæreticorum numero, maiori tamen expectatione ſuſceptæ diſputationis, & porrectis Augerio concluſionibus pugnatur acriter ſcripturæ & Patrum teſtimoniis. Leopardus cum Comite Molnerio vici Senechallo diſputandò cæditur, tunditur, agitatur, opprimitur, & arreptâ fugâ de Leopardo lepus efficitur, tanto Catholicorum plauſu, & ſectariorum pudore, vt paulò pòſt fama tulerit Leo-

pardum ignominiæ magnitudine, & plagarum eo die acceptarum acerbitate contraxiſſe morbum, ex quo vitâ diſceſſit, pœnas æternas blaſphemiarum recepturus, quas in Chriſti corpus ore ſacrilego vomuerat.

Cæterum, non inanem rumorem fuiſſe, repertũ Leopardi à militibus Sanleucij & ex media Marennarũ Eccleſiâ, in qua de nocte à Senechallo conditum fuerat, ad vicini littoris oram vnco tractum meritáq; aſini ſepulturâ donatum cùm ſequenti Epitaphio, quod & ad rei geſtæ memoriã ab homine non indocto poſitum eſt, omnibus confirmarunt.

Leopardi Marennarum Miniſtri aduerſus Euchariſtiæ Sacramentum blaſphemi Epitaphium.

„ MOrare tantiſper hoſpes & perlege.
„ Hîc, ſi forte neſcis cuius oſſa exigua
„ vix arena cõtegit, Miniſter fuit ſectę infelicis, erroris buccina, præco falſitatis;
„ Vitam dederat natura, mammã hęreſis,
„ nomen bellua, mentem inſania, os &
„ linguam blaſphemia; mortem attulit

„ infamia ; Indixit viuus bellum Eccle-
„ ſiæ, illum oppreſſit, veritati, excæca-
„ uit, Chriſti cœnæ, iugulauit, Deo, in-
„ terfecit. Natus ex parente Leopardus,
„ lepus diſputandò moritur, bis ſepultus
„ & nullibi : nunc militum pila, terræ
„ ſputum, vndis eſca, dæmonibus præda.
„ Tranſi hoſpes, & illacrima.

CAPVT X.

Ab Aduerſariorum calumniis liberatur.

TRANSIREM ad alia Collegia, quibus Augerius inchoandis aut tuendis interfuit, niſi me eius nomini impacta ab hiſtoriæ Gallicæ ſcriptore non ignobili calumnia in commemoratione Collegij Burdigalenſis innueret tantiſper adhuc in eo eſſe ſubſiſtendum. Nam etſi ab illo accuſari in ijs, quæ Sectariorum cauſæ incommodant iniuriæ loco non ſit habendũ, præſertim cum nihil ſit, ea in re tam Augerio proprium, vt etiam viris ſapientibus ac illuſtribus commune non ſit, quorum exiſtimationi in hiſtoria ſua non ſatis conſuluiſſe videtur pluribus in locis, & nonnunquam vt facta

hæreticorum laudaret conuinci poteſt plurimùm detraxiſſe. Ne. qua tamen eius ſcripta voluentibus detur de Augerio aliter cogitandi occaſio, quam quod eius integritas & cognita virtus meretur, ſtatui breuiter à duobus illum vindicare, quæ libro trigeſimo tertio hiſtoriæ commemorat.

Ergo, vbi Sam-bartholomæam Tragœdiam, quæ Lutetiæ aliiſque tegni vrbibus iubente Rege celebrata eſt, deſcripſit, recenſitâ cæde quæ Burdigalæ aliarum ciuitatum exemplo facta eſt; duo in Augerium deuoluit.

Quorum vno, illum cædis inſtitutæ primum autorem atque præcipuum incentorem facit. Altero affirmat ab eo perſuaſum Franciſco Bauloni Senatori Burdigalenſi admodùm locupleti, vt ab vxore diuerteret, quò eius opibus ſubleuatus opimam in ea ciuitate ſcholam fundaret. Quæ antequàm diſcutio, lubet hominis in inueſtiganda rerum quas narrat veritate negligentiam arguere, cùm languentem in multis, tùm in eo ſupinam maximè, quod cum diutiùs in Aquitania cauſarum Diſceptator fuerit, quæ Catholicos inter & hæreticos oriuntur.

proindéque facilè de horum criminum falſitate doceri potuerit, nihilominus ex libellis hæreticorum quos temporum illorum effrenata licentia quotidie ſpargebat in vulgus, hiſtoriam texere maluerit, quàm ſcriptis Catholicorum adhærendò, & proborum teſtimoniis, ſtylum ſuum excellente alioquin hiſtorico non indignum veritati, quæ prima hiſtoriæ virtus eſt, commodare. Enimuerò ſi tantum fidei Catholicis ad Eccleſiæ & bonorum defenſionem tribuiſſet, quantum Sectariis detulit ad hæreſis & impiorum commendationem, facilè potuiſſet diſcere. Sam-bartholomæam cædem Regis imperio Lutetiæ cœptã, & ad hæreticorum coërcendam audaciam atque improbitatem ſuſceptam fuiſſe.

Cæterùm tantùm abeſt, vt eius inchoandæ Burdigalæ autor fuerit aut incentor Augerius, vt poſſit facilè oſtendi ab eo vitam quibuſdam conſeruatam, qui pereundi metu ad eius tutelam & fidem in Collegium confugerunt; nec tam eſt extincta temporum illorum memoria, vt aliqui adhuc non ſuperſint, qui Bucherij Burdigalenſis Senatoris verſus optimos non legerint, quos tunc hæreſi

depoſitâ in eius laudem & beneficij accepti ſignificationem compoſuit. Quod ſi fortè ab eo laudatum reperiatur, quod Rege autore factum fuit, eidem virtuti tribuendum, cui datum eſt quod fecit Princeps Senatus Pariſienſis vir optimus & de Catholicis egregiè meritus, cùm altero poſt die quo Tragædia cœpta eſt, Regi gratias egit ampliſſimas, factúmque in cælum vſque laudibus extulit.

Deſertius in hiſtoria Galliæ ad an. 1572.

Quâ verò tandem ratione verum eſſe poteſt quod ait Baulonem Augerio ſuadente aut impellente ab vxore diſceſſiſſe, quam duobus annis antequàm Augerium Burdigala teneret, conſtat Autoritate Senatus Pariſienſis cum Baulone nullam conſuetudinem habuiſſe? Quæ ſi interceſſiſſet, non eſt tamen vllo pacto probabile virum ſapientem, probum, locupletem, potentem, tam leuem ob cauſam, vt à coniuge diuerteret, induci potuiſſe, qualis erat vnius ſcholæ fundatio, quæ licet opima ab hiſtorico nominetur, tamen duo Francorum millia, hoc eſt, aureos ſexcentos non admodum exceſſit. Quæ ſumma vt exigua eſt in homine diuite, ità tantarum diſcordiarum fons eſſe non potuit,

præſertim cum non ignoraret ipſe Baulonus tribus annis antequam Burdigalam videret Augerius Gymnaſium publicum quod inſtructum ſexdecim Magiſtris habebat, ab Senatu cum ſuis reditibus fuiſſe oblatum Societati, nec tamen ob temporum difficultatem acceptum; imò poſſet profiteri palam ſibi perſuaſum multis rationibus à domino Leritano nobili ac pio Luſitano, cui erat perfamiliaris, dùm Henrici Cardinalis Infantis Portugalliæ negotia Burdigalæ curabat, vt eidem in ædibus quas ab Rege Carolo ſuum conſilium probante impetrauerat, fundaret Collegium.

Hiſt. Soc. p. 3 lib. 8. n. 138.

Accedit quod adhuc paucis pòſt menſibus litteras ad eundem Leptanum Luſitaniæ Legatum Pariſiis in aula commorantem dederat, quibus rogabat enixè, vt à Prouinciali Franciæ Concionatorem è ſocietate Burdigalæ impetraret Augerium, eique ſexentorum aureorum ſummam fundando Collegio offerret. Quæ ſi vera ſunt; vt veriſſima eſſe ex ſcriptis Baulonis manu codicillis adhuc oſtendi poteſt, perſpicuum eſt quo ex fonte calumnia illa in Augerium exierit, & quæ quibuſdam aliis in rebus fides

huic hiſtoriæ ſit habenda. Cui facile eſſet alium eiuſdem temporis ſcriptorem adiungere, iudicio quidem & eruditione inferiorem non loquendi ac detrahendi libertate, qui in cauſa Pœnitentium diuerſis Galliæ locis inſtitutorum digrediens pro more in Augerij reprehenſionem, illum hypocritam appellat. Sed quoniam me iampridem hoc onere cumulatè liberauit vir doctrinæ & Religionis Catholicæ laude inſignis Renatus à Fonte, ſatis hîc mihi feciſſe videor ad iſtius calumniæ diſcuſſionem, ſi quam labem Maieſtati Regiæ proprij Principis, & manifeſtæ omnibus ſancti Ignatij integritati, homines iſti auſi ſunt inurere, eandem Augerio impegiſſe confirmo; & quem illis immortalis gloriæ ſplendorem attulit illorum maledicentia, eumdem quoque apud Deum & homines Augerio contuliſſe.

CAPVT XI.

Emolumenta quæ diuerſis Galliæ Collegiis attulit opportunè.

ETSI prima Muſſipontanæ Academiæ conſilia jam inde à celebrato

Tridenti Generali Concilio cœpta ſunt, in quo primùm Societatis IESV Carolo Cardinali Lotharingo eius Fundatori per Lainium & Salmeronem primos Societatis IESV Patres, & ſedis Apoſtolicæ legatos innotuit, & ob præclaram in Synodo nauatam Eccleſiæ operam cœpit amari; illa tamen conſuetudine, quæ Augerio cum eo familiaris interceſſit, & Metenſi profectione non parùm maturuerunt. Nam Rege Carolo Metis degente de vocanda Societate in Lotharingiam, & hæreticis opponendâ ſeriò actum eſt, Cardinalis Augerio patefacta conſilia, quæ eò pertinebant, vt quoniam Metis vrbe Regiâ, & extra Lotharenorum principum ditionem poſitâ difficilè Collegium Societati collocari poſſe videbat, præſertim illis temporibus quibus hæreticis abundabat & tumultu, vrbs aliqua vicina in ſua aut fratrum ditione legeretur ad Academiam idoneam, vnde & Metenſibus auxilia dari poſſent, & pietas Catholica in Lotharingia conſeruari.

Petrus Ribadeneira in vita P. Franciſci Borgiæ l. 3. cap. 12.

Quamobrem Muſſipontana ciuitas paucis miliaribus Nanceio Metíſque diſtans ad ſuſtinendam cum Marchionatûs

honore, quo erat inſignis Academiæ dignitatem delecta eſt. Exinde loco vrbis conſpicuo & celebri iacta ſunt illius à Cardinali illuſtriſſimo fundamenta, cœptúmque eſt in ea doceri à noſtris anno ſeculi milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, paucis ante Fundatoris immaturum obitum annis, qui vt Galliam totam perculit, ita Academiæ vix dum bene inchoatæ, & vſitatis incipientum rerum difficultatibus valdè implicitæ perniciem erat allaturus certiſſimam, niſi paulò ante mortem quæ Auenione contigit Augerio aſſidenti, & Cardinalis animam de tota Gallia bene meritam, ad abeundum ex hac vita comparanti codicillum, ſine quo nullo modo ſtare potuiſſet, formâ quæ erat ad eius ſtabilitatem neceſſariâ exaratum tribuiſſet. Quod Augerij non fuit vltimum in hanc Academiam beneficium, ſi quidem obortis poſteà aliis pro Aſpericollis Prioratu, vnde præcipua pars bonorum Collegij petitur, retinendo difficultatibus plurimùm eidem in Gallia profuit.

Et apud Auenionem exorta graui ſeditionis tempeſtate à qua Collegio,

Hiſt. Soc. par 3. lib. 5. n. 130.

quod in conductis ædibus quadriennio ante cœperat, proximéque certis reditibus, & communi ciuium conſenſu coempta domo ſtare firmum credebatur, imminebat exitium præſens, niſi ex improuiſo, ſed temporî Augerius ſubueniſſet. Plebs per abſentiam Poſſeuini Rectoris, euocati à Borgia Romam ad ſolemnem quatuor votorum Societatis profeſſionem, falſis & confictis in illum quorumdam maleuolorum ſermonibus, ſupra modum concitata, ac furenti ſimilis, tantùm non perfregerat Gymnaſij fores, diſcerpendum perdendúmque paſſim & publicè ingeminans, dùm Senatus pro rei neceſſitate coactus, non modo non compeſcebat tumultuantem, ſed in eius perniciem ferebat edictum, quo donatam paulò ante magno conſenſu domum & reditus, & quicquid vnquam beneficij collatum fuerat, irrita iubebat eſſe, ac penitus reuocabat: ſummo enimuero dolore bonorum & maximè Ameniaci Cardinalis, qui de Rectoris & Collegij totius innocentia nihil dubitans, cum Archiepiſcopo & Conſulibus vrbis afflictos & terrore perculſos conſolaturus, protecturuſque accurrerat.

currerat. Venit & inexpectatus Augerius Prouincialis, ſiue caſu Toloſâ ad Regia caſtra feſtinans, ſiue Dei nutu cuncta ad ſuorum auxilium & tutelam perditis ac penè deſperatis in rebus opportunè moderantis. Ergo cum vix triduo in vrbe ſubſiſtere tempus & publica negotia ſinerent, & nihilominus in æde Collegij iam quinque conciones habuiſſet magno nomine & concurſu; poſtremâ de conſenſu Cardinalis, coram Senatu & aliis ciuium primoribus in hunc finem conuocatis, tanta cum animi magnitudine & ſolertia perorauit, vt tùm maximè Collegium conſtiterit, cum de eius ruina atque euerſione actum putabatur. Nam cùm intrepide & conſtanter haud ſemel affirmaſſet, non prolixa, ſed potenti & neruorum plena oratione; velle ſe mox Collegium deſeri à Sociis exutis tecto victúque ab Senatu, nec ad abeundum expectare donec per iniuriam & ignominiam, nullius criminis rei atque indictâ causâ pellerentur, hoc præter omnium expectationem audito totus Senatus, veluti quodam fulmine perculſus ingemuit & cum Cardinali vna voce exclamarunt omnes, ſe paſſu-

ros nunquam, vt Ciuitas eo præſidio deſtitueretur, quòd tanto ſtudio exciuiſſet, & obtentam magis expediret conſeruare quam reuocare poſtliminio amiſſam. Itaque cum de tota re ad ſummum Pontificem deferenda conſilium captum fuiſſet, & per litteras ad ſuum in Gallia Nuncium, ad Cardinalem Armeniacum, ad Archiepiſcopum & ciuitatem Auenionenſem ab eo datas ſeorſim, de innocentia Poſſeuini imprimis, & Collegarum conſtitiſſet, antiquato & reciſo conſulto Senatus quod ſeditio pepererat, Gymnaſium cum ſuis reditibus omnibus in poteſtate Societatis remanſit, Augerij ſolerti & generoſa facundià veluti de integro reſtitutum, aut potius inconcuſsè & de nouo fundatum.

Res quoque Collegij Camberienſis venerant eò difficultatis ob multa quæ illius incunabula obſidebant incommoda, vt ijs auditis vrbe excedi iuberetur à Borgia & deſeri ab inquilinis, quando interuenit Augerius qui religioſa oratione populum commouens & deuinciens, ita cum principibus vrbis ciuibus ac Senatu prudenter & conſtanter egit, vt eo iuuante domus primùm conducta

Hiſt. Soc. p. 3. l. 7. n. 83.

fuerit in quam eſt commigratum, & poſtmodum ad eam coëmendam, & Societati in perpetuum aſſerendam Ioannes Triuultius, Protonotarius Apoſtolicus ex patritia Mediolani gente, tria aureorum millia tranſtulerit; cum Prioratu ſancti Ioannis Baptiſtæ de Megena, cuius reditibus, & paulatim adiectis quibuſdam aliis adminiculis, Collegium ſic eſt conſtitutum bene, vt nutante ac pene labanti ſedes firma fixaque acceſſerit, & ſine cuiuſquam incommodo ciuitas vectigali inuidioſo & Societatis legibus repugnante, fuerit liberata.

Ruthenenſe Collegium ante eius aduentum ſola paupertate nobile, Beatæ Marthæ domum ad ſubſtructionem percommodam acceptam, & refectum trecentorum aureorum annua penſione.

Bituricenſe illius cum domino Niqueto Fundatore neceſſitudini iure debitum eſt, quod vt patet ex literis Fundationis eius in Archiuo ſeruatis, recepit, & aliquibus concionibus illuſtrauit.

Iam Dolanum, quod eſt apud Sequanos in Burgundiæ Minoris Comitatu totum quantum quantum eſt Augerij labor eſt & partus, cuius rei ſatis amplam

fidem faciunt præter veteres Collegij codicillos datæ ab eo ad Regem Catholicum literæ, atque ab ſocio in Hiſpaniam delatæ, quibus officientes Collegio moras abundè ſuſtulit, & quas impetrato per Augerium Monthenſi Prioratu ad eius Fundationem Gregorius Papa XIII. Maiori & Conſulibus Dolanæ vrbis anno 1579. reddidit, in quibus Emundi expreſſa mentio declarat ſatis quantum ei Collegio excitando adlaborauit.

Dilectis filijs Maiori, Conſulibus & Conſiliariis vrbis Dolanæ.
Gregorius Papa XIII.

Dilecti filij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. In tam graui támque deploranda Catholicæ Religionis in pleriſque Germaniæ locis iactura, vehementer nos conſolatur veſtra pietas & conſtantia in huius ipſius Religionis ſinceritate, & Apoſtolicæ ſedis dignitate atque obedientia congruenter veſtro muneri Catholici Regis Philippi voluntati, & dilecti filij noſtri Cardinalis Baumæ Paſtoris veſtri Inſtitutis retinenda & tuenda. Hæc enim omnia ex

grauiſſimorum hominum literis teſtimonijſque, imprimis verò ex dilecto filio Emundo Augerio incredibili cum voluptate cognouimus. Itaque & Deo gratias egimus & veſtram eius bonitati pietatem zelumque obtulimus, & bona omnia vobis ab eo precati ſumus. Summopere autem probamus veſtrum conſilium IESVITARVM *Collegij inſtituendi, idque iam cœptum eſſe gaudemus. Habebitis enim homines in ijs, quæ ad Dei gloriam & ad animarum ſalutem pertinebunt, paratiſſimos vigilantiſſimóſque; ei Collegio Prioratum eum quem petebatis libentiſſimè conceſſimus, neque vlla in re veſtris optimis Deóque acceptiſſimis conatibus, aſſiduiſque pro Catholica Religione aduerſus finitimos hoſtes hæreticos dimicationibus authoritate atque operâ vnquam deerimus. Datum Romæ ſub annulo Piſcat. die 28. Nouemb. 1579. Pontif. noſtri anno 8.*

Quamquam, vt ex Pontificio reſcripto patet, de Dolano Collegio cœptum eſſet agi anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono, & priuata Senatorum quorumdam liberalitate domus quatuor millibus empta iam eſſet, in ea tamen habitatum lectúmque non eſt,

niſi Augerio iterum iuſſu R. P. Generalis Societatis IESV Dolam anno 1582. reuertente. Quo tempore menſe Iunio P. Caroli Ianini fideliſſimi rerum Augerij obſeruatoris oratione Collegium iuuentuti apertum eſt à Senatu, Generalibus Prouinciæ Comitiis confirmatum, relicta Dolanis interim ſummæ ac diuinæ facultatis in eo docendæ promiſſione cum eius alendæ ac ſuſtinendæ capax eſſet. Quæ promiſſio reddita locupletiori auguſtiorique Collegij forma paucis ab hinc annis & Theologiæ ſcholâ accerſita tandem vberi totius Prouinciæ prouentu lætitiâque impleta eſt.

Eodem tempore concionibus ex itineris opportunitate Diuione vicinâ, & ampliori ducatûs Burgundiæ ciuitate relictis, Societatéque IESV optabili reddita, per eius eloquentiam delicatis blandæ ac politæ gentis ingeniis, Odineto præſidi viro docto ac locupleti in familiari congreſſu ſemina reliquit, quæ poſtea Societati Collegium quod habet in ea ciuitate, pepererunt. Si quidem altero poſt Augerium auditum anno vitâ decedens Societatem abſentem, nihilque minus quàm de Odineti bonis cogitan-

tem hæredem exaſſe fecit, quod re per Senatum diſceptatâ, & Societati ex iure attributâ initium Diuionenſi Collegio attulit.

His nihil admodum diſſimile ad optandum & poſtulandum Collegium Ciuitatem Remenſem compulit. Nam Lugduno excitus Augerius ab Lotharingo Cardinali, eunti obuiam Iſabellæ, Maximiliani Imperatoris filiæ, quam Carolus Rex in matrimonium ducebat, Remos venit, eáque in vrbe coram Cardinali, & magna multitudine Nobilium, ſucceſſu quo ſolebat optimo, verba fecit, & ciuibus petendi, atque obtinendi Collegij conſtantem voluntatem abeundò reliquit, quam tandem Balthaſar Abbas Villa-regius ex antiqua & pernobili Brulartiorum familia ſua liberalitate abundè & feliciter ad exitum perduxit. Hiſt. Soc. par. 3. lib. 6. n. 70.

CAPVT XII.

Lugdunenſibus peſte iterum laborantibus adeſt.

ANNO milleſimo quingenteſimo octogeſimo primo peſtilentiâ Lug-

dunum reuertente, quæ totam penè Galliam populandò peregrinata eſt, & Ciuitatem ad eum ſtatum reducente, vnde illam ſexdecim ferè annis antè ſuis laboribus ac virtute Augerius exemerat, iterum ad procurandam Lugdunenſium ſalutem curas adiicit, & caput vouet opem ferendo laborantibus. In quo etſi omnes vrbis proceres, quibus erat amiciſſimus, ſibi aduerſari ſenſit, negantes ciuitati tam charum caput, & toti Galliæ ſalutare periculo exponendum, eâ præſertim ætate ac tempore, quo maximè neceſſarium eſſet, & in ea vrbe non deeſſent alij, quibus hæc prouincia demandari poſſet. Verùm vbi eo dicente, & id munus enixè depoſcente, omnium ægrotantium votũ eſſe patuit amantiſſimum Patrem ſibi reddi vna voce precantium, collaudata præclara eius in vniuerſam Ciuitatem voluntate recepta deuotio eſt.

S. Bernardinus Senẽſis Ordinis S. Franciſci Concionator inſignis iuuandis peſte laborãtibus ſe expoſuit an. 1400. Surius in eius vita.

Paucis explicari non poteſt, quid hoc munita præſidio Augerij Charitas ad ægrotantium ſalutem cùm animæ, tùm corporis perfecerit, quæ repererit eorum iuuandorum ac ſolandorum remedia, in quibus etſi ſunt quædam ijs non diffi-

milia quæ præſtiterat iam alio contagionis tempore, & ſunt à nobis commemorata; non deſunt tamen alia quæ ad ſalutem & exemplum ijs, qui ſe huic martyrij generi piè deuouere ſolent, poſſunt eſſe vtilia. Quale eſt illud, quo percommodè ad ægrotantium audienda peccata & ſacramenta miniſtranda opere pereleganti ſacella duo mediis agris excitauit, feneſtris vitreis ad omnem auram captandam hoc artificio inſtructa, vt dum per vnam pœnitentium confeſſiones cum noxio infirmorum anhelitu exciperet, alterâ frigidum ac ſalubrem aërem reſpiraret ad incolumitatem.

Præterea plures ac diuerſas domunculas è ligno in campis extrui curauit loco ſalubri, & ſatis longâ intercapedine inter ſe diſiunctas, quas cum omni ſupellectili neceſſaria inſtruxiſſet familiis affectis tribuebat. Cæterùm Societatis IESV Annales ſic eius labores narrando perſtringunt.

Inſtituit primùm, vt in omnibus templis perpetuæ in precibus ſtationes haberentur, vtque ſigno publicè dato priuatis in ædibus ſinguli genibus prouoluti

finem malo expoſcerent. Ipſe præterea vrbem vicatim obiens ingentem pecuniæ vim in pauperum vſus corrogauit. Curauit quoque vt ædiculæ ligneæ extra vrbem ædificarentur, quæ rebus omnibus inſtructæ familiis tribuerentur. Alias etiam duas ligneas domos fabricatus eſt, in quarum vnam pauperes Febri laborantes reciperentur, in altera cibi aſſeruarentur. Atque in tot tantiſque occupationibus conciones nunquam intermiſit. Qua in re illud certè miraculi inſtar fuit, quod nemo eorum qui conciones illius frequentarit, ſit correptus. Dominicis feſtiſque diebus in duobus ſacellis è ligno extructis rem diuinam peregit publicè, Chriſtique corpus diſtribuit. Pueros quoquę infantes quos funibus è feneſtris parentes demittebant, frequenter baptiſauit. Quibus addi poteſt, quod à duobus Societatis IESV patribus, probitatis egregiæ ac notæ in animarum ſalute procuranda Charitatis ad me ſcriptum eſt, quorum alter Augerij in ea peſte ſocius fuit, alter Lugduni tùm in docendò erat occupatus, cum non tantùm concionando aut Chriſti corpus impertiendò iuuiſſe ęgro-

tantes, ſed per Noſocomia panem benedictum cum aquâ luſtrali diuiſiſſe, celebraſſe multorum matrimonia, Chriſtianâ doctrinâ per Catechiſmum informaſſe, diſtribuiſſe bis in die cibaria, quæ vicatim collegerat, medicamenta morbo laborantibus propinaſſe, omni veſtimentorum genere, quæ ſibi ex datis eleemoſynæ nomine pannis in vrbe conſici curauerat cooperuiſſe, largitum eſſe pecunias, quas vrbem quotidie obeunti, cum innumeris encomiis & fauſtis comprecationibus pia ciuitas è feneſtris erogabat. Sæpe vnâ largitione decem panni optimi maſſas ac telæ totidem accepiſſe, ſemel pro foribus Franciſcanorum Monaſterij eius vrbis reperta fuiſſe decem vini generoſi dolia, cum quingentis aureis nummis hac inſcriptione notata. P. Augerio pro peſte laborantibus. Summam eorum quæ in egenos ægroſque-diuiſiſſet, octoginta aureorum millia ſuperaſſe, per multos corporis ſanitatem ei acceptam retuliſſe, multò plures animæ ſalutem, propter quæ plebis Lugdunenſis vulgò parens ac liberator à Ciuibus appellabatur. Sequenti anno cùm malum adhuc aduerſus Auge-

rij diligentiam pertinaciter luctaretur, & vires Autumni tempore reſumeret, ab Conſulibus nomine Ciuitatis votum eiuſdem hortatu ac conſilio Lauretanæ Virgini nuncupatum eſt Calendis Nouembris, qui dies diuis omnibus, ac præſertim Auguſtæ Cæli Reginæ ſacer eſt, quo penitus lues improba receſſit Virginis imperio diſcuſſa. Lectus autem eſt ipſe cum duobus aliis communi Conſulum arbitrio, vt Calicem ex argento cælato inauratum magnitudine atque opere inter alios conſpicuum, cum aliis haud exigui pretij muneribus ad monumentum accepti beneficij & voto liberandam vrbem Deiparæ Matri Ciuitatis nomine Lauretum deportaret: quod cum lubens faceret, notatum eſt eo ipſo die, quo munus oblatum eſt ac redditum, Dei Matrem morbum ab vrbe repuliſſe, & priſtinam Lugdunenſi cælo ſalubritatem reddidiſſe.

Libri ſecundi Finis.

HISTORIA VITÆ R. PATRIS EMVNDI AVGERII,

QVI PRIMVS E SOCIETATE IESV CAROLO IX. ET HENRICO III. Galliæ Regibus à concionibus & à confeſſionibus fuit.

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

Qualis in aula fuerit, & quid in ea geſſerit.

QVAMQVAM vulgo Regum Magnatúmque palatia voluptati ambitioníque fouendæ iuxta Veritatis oraculum aptiora ſunt, quàm alendæ aut confirmandæ pietati, multóque plures vitio infir-

mitatis humanæ in Aula Chriſtianorum Principum deliciarum, dignitatum & gloriæ aucupes reperiantur, quàm virtutum aſſeclæ, & veri Chriſtianæ integritatis cultores; non eſt tamen vſque adeò inſolens, atque ab aulicæ vitæ ſtudiorum vſu remotum Religionis ac ſanctitatis nomen, vt nonnunquam hominibus Religioſis, Principum præſertim Chriſtianorum Aulas colere ac frequentare non liceat, cum id & Chriſtianæ Reip. commoda poſtulant, & imperantium Principum accedit authoritas. Etſi enim veriſſimum eſt in hoc genere, quod à viro doctrinâ & ſanctitate conſpicuo in Aula quondam concionum cauſâ florente apud D. Ludouicum, dictum eſſe memini, hominem Religioſum extra Cœnobij ſepta poſitum, eſſe piſcem ſine aquâ, aut militem ab armis deſtitutum, ob pericula propè infinita, quæ ſunt implicita eiuſmodi vitæ curis; hoc tamen tantum pondus habere non debet apud eos quos ex diuerſorum Ordinum familiis ad regendos Chriſtianorum Principum animos, & pietatem promouendam, Deus eligere conſueuit, vt commoda priuata publicæ vtilitati, ſuáque

pericula rei Chriſtianæ ac Religionis periculis præferre debeant; cùm non deſint omnium penè ætatum viri complures, qui cum magna integritate & fructu in Aula Principum vitam traduxerunt. Noti ſunt Hebræorum Prophetæ omnes, viri ſpiritu diuino afflati, & rebus omnibus humanis ſuperiores, quos Deus Regibus populi ſui non aliam ob cauſam concedebat, quàm vt eorum conſiliis & virtute in adminiſtrando regno & populo gubernando vterentur. Enimuerò de Gentium Apoſtolo à Luca diſertè commemoratur, quod à Deo fuerit vocatus, vt nomen ſuum portaret coram Regibus. Et Ioannes Chriſti præcurſor, eremique cultor aſſiduus ab Aula procul non erat, cùm infames Regis impij libidines libertate pluſquam humanâ reprehendebat, & militibus benè viuendi præcepta promulgabat.

Actuum Apoſt. cap. nono.

Lucæ cap. 3.

Neque eſt opus hîc à me commemorari Principes omnes, qui viros Religioſos ad regni ſui adminiſtrationem admiſerunt. Theodoſium Imperatorem refert Socrates aulam ſuam inſtituiſſe ſicut virtutis ſcholam, in qua ſe ad pietatem ſuóſque exerceret, habens ordines &

tempora pſalmorum legendorum, vigiliarum ac ieiuniorum: quod non ſine magni Arſenij Conſilio contigiſſe nullus, opinor, ibit inficias. Carolum Magnum I. Gallorũ Imperatorem Annales noſtri teſtantur Angilberto & Alcuino duobus familiæ ſancti Benedicti luminibus in vita & imperio adminiſtrando fructuosè vſum fuiſſe. Nec quiddam his diſſimile de Sanctiſſimo Rege Ludouico inter res ab eo geſtas reperitur: adeò in Gallia inſolens non eſt, vt Chriſtianiſſimis Regibus adſint viri Religioſi, qui eos ad virtutem ſequendam forment, dicendóque ex impoſito ſibi munere ad pietatem & Religionis defenſionem cohortentur, quemadmodum nuper à multis è Societate IESV factum hæretici maximè ſtomachantur, quorum primus Augerius à Carolo nono, & Henrico tertio auditus eſt auidè, & multis in rebus ad pietatem & fidei Catholicæ defenſionem ſpectantibus exercitus eſt. Reliqui omnibus abundè noti ſequentibus Regibus fidelem operam nec inutilem Regno præbere conati ſunt. Et quamquam illius, de quo hîc agendum ſuſcepimus, res in Aula geſtæ temporum iniuriâ

Aimonius in hiſtoria Francorum capite 9. Plexius ad annũ Chriſti 796.

S. Bernardus de Sugerio Abbate S. Dionifij epiſt. ad Eugenium, hæc habet. Noui virũ, quod in tẽporalibus fidelis, in ſpiritalibus feruens & humilis. Apud Cæſarem tanquam vnus de Curia terrena, & apud Deum de Curia cœleſti Magnæ domus & Magni Regis Vaſin honorem.

iniuriâ non ita compertæ ſunt, quæ tamen ſuperant ex viuorum memoriâ, non ſunt indigna virtute illius & recordatione ſecuturæ poſteritatis.

Noluit vnquam ita Principum alligari obſequiis, vt ſibi alias Galliæ vrbes, in quibus Chriſtianæ pietatis ſementem fecerat, reuiſere interdum, atque ad maturitatem perducere non liceret, vnde ad Aulam nunquam niſi vocatus accedebat, cum negotia quæ ad pietatem Regis curandam pertinebant concionandò præſertim obierat, ſtatim domum reuertebatur, vt concionibus quæ ſæpè habendæ erant in diuerſis templis vacaret. Nunquam niſi rure extra domum cibum capere deprehenſus, nunquam Pariſiis vrbe cœnosâ & ſpatiosâ niſi pedes ad Aulam proceſſit. Mulum ſemel ad minuendam viarum difficultatem vir nobilis & amicus dono miſit. Ille veritus ne quam de ſe querendi occaſionem præberet, ad amicum illico cum gratiarum actione remiſit. Turpes aulæ cantilenas per honeſtas & pias à ſe compoſitas proſcripſit, libellis hæreticorum, qui cum periculo terebantur ab Aulicis, caſtas atque omni hominum generi fru-

ctuoſas preces ſubrogauit. Oblatas ſibi ab Henrico tertio dignitates ac pretioſas infulas ſæpiùs repudiauit contempſitque. Qua in re egregium in Societatem animum,& obfirmatam in omni honore dignitatéque reſpuenda conſtantiam oſtendit.

Petrus Matthæus, Spôdanus, Fauinus, Sammarthanus & alij.

Cùm ſupremis temporibus fama communis illum in Cardinalium Collegium cooptandum deſertâ Societate loquebatur, auditus eſt à P. Reginaldo Valderio, qui tum eius confeſſiones excipiebat cum diceret, aiunt me Cardinalem aut Epiſcopum eſſe velle: ſed auertat hoc ab Augerio Deus, vt Parentem deſeruiſſe vnquam verè dici poſſit.

Cæterùm quandiu illi cum Henrico liber congreſſus fuit, & præfuit eius moderandæ deuotioni; contigerunt illa omnia quæ ad Dei gloriam, & Eccleſiæ Catholicæ bonum ſuſcepta perfectáque narrantur, ab illorum temporum ſcriptoribus, poſſuntque meritò, cum Regum aliorum rebus præclarè & laudabiliter geſtis comparari.

Verùm eo abſente atque ab Aula reuocato, neſcio quid iniquitate temporum,& rerum humanarum inconſtantia,

quas dies ſæpè vna commutat, turbatum eſt in Regno, & illæ tempeſtates exortæ ſunt pugnantium inter ſe diſcordiarum ciuilium, quæ tandem Regi miſerrimum interitum, & toti regno penè exitium vltimum attulerunt. Diuinæ tamen in Augerium prouidentiæ non obſcurum argumentum arbitror in tantis fluctibus temporum, quod ne qua illius tempeſtatis pars ad eum pertinere poſſet, illum à Rege & ab Aula per Superiores maturè ac tempori remouit.

CAPVT II.

Multa aduerſa generosè patitur.

QVOD pluribus excellenti pietate viris accidiſſe legimus, & vulgo permittitur ad purgationem amicorum & illuſtriorem gloriam, à cuncta moderante Deo; vt in extrema veluti laborum periodo multis aduerſarum rerum tormentis quatiantur. Hoc etiam circa vitæ finem Augerio contigit; cuius iſtæ erant in aula Gallica & principe Regni ciuitate occupationes, cum eadem tempeſtas, quæ Henrico tertio nocuit, in Emundum quoque Regi ex officio ſtu-

dentem imprimis, partem ſuæ improbitatis effudit, conſpirantibus notis, æquè ac ignotis ad eius vexationem, & linguæ maledicæ mucronem aduerſus eius famam crudeliter inhumanéque ſtringentibus. De quibus etſi multa dici poſſent ad eius virtutem indicandam idonea, & commendandum animum ferendis aduerſis indefeſſum: Fuit tamen illorum temporum tam fœda calamitas, vt quæ in ijs acta ſunt, velut in aliquo perturbatarum rerum omnium mari, digna ſint æternis potius tenebris, quàm luce vlla cuiuſquam orationis.

Commemorari tamen verè poteſt, & ad eius virtutis commendationem affirmari, eum in rebus difficillimis non modò non aliquid à religioſa modeſtia ſapientiáque alienum feciſſe vnquam in tanta authoritate, quâ tùm pellebat apud multos; vt contra luculentum patientis ac demiſſi animi argumentum vbique præbuerit. Quod cum altò ſilentio tacitáque modeſtiâ ſæpe indicauit, tùm prodidit maximè cum Superiori diſceſſum, ab Aula & Rege ſuadenti non modò non grauatè obediuit, ſed etiam ſtatim & ſine vlla cunctatione, aut

aduerſariorum expoſtulatione eius miſſionem procurantium, quòd illorum conatibus incommodaret, obtemperauit.

Et quamquam aduerſus temporum iniuriam, & obloquentium ſcientiam ſuperiori oſtendere poterat Pontificium diploma, quod Henricus Rex Chriſtianiſſimus eius apud ſe retinendi, & quandiu placeret, vtendi, Patre penitùs inſcio à Xiſto quinto Rom. Pontifice impetrarat, habebatque tunc iners & in tenebris expeditum; Deo tamen in ſuperiore loquenti obſequendò, vt Canones inſtituti præcipiunt Societati vniuerſæ humilitatis atque inſignis obedientiæ maluit exemplum relinquere, quam diuinæ prouidentiæ, à quâ ſe in omnibus gubernari volebat, vllum obicem, vel per ſummi Pontificis autoritatem opponendò, in Aula Principis omnium Regni adeóque cum Rege ipſo Chriſtianiſſimo remanere. Quod non ſolùm ad extinguenda maleuolorum in ſe odia, & præpoſteras opiniones delendas momentum habuit, ſed etiam ad eius illuſtrandam virtutem maximè fuit opportunum. Siquidem R. P. Lauren-

tius Magius Societatem IESV in Gallia ex munere viſitans, Augerij modeſtiam ac virtutem egregiè laudauit, admiratúſque eſt, non ſolùm cùm eam facultatem diſcedendi ab Aula, quam omnes ſine graui offenſione obtineri poſſe ab Rege negabant, niſi poſtularet, vidit ab eo ſponte & multis cum precibus impetratam, ſed etiam cum diploma Pontificis, & literas haud multò ante quàm Lugduno recederet ei dedit in manus, atque illis vtendi poteſtate ſe per propriæ manûs Chirographum penitùs abdicauit; quæ hîc ex Archiuo Collegij Lugdunenſis, vbi authographum ad inſignis facti memoriam adhuc aſſeruatur, ex idiomate Italico legenda propono.

Literæ Xiſti Papæ V. ad Henricum Franciæ & Poloniæ Regem Chriſtianiſſimum.

Xiſtus Papa V.

CHariſſime in Chriſto fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Literæ Maieſtatis tuæ quibus ſignificas cupere te vehementer P. Emundum è Societate IESV *apud te retinere, vt ex toto tuis*

ſpiritalibus exercitiis intendat, mihi tantùm hodiernâ die redditæ ſunt. Enimuerò de Nuntio noſtro Maieſtatis tuæ deſiderium acceperam paulò antè, & à Cardinale Ruſticuccio, à quo per literas poſtulatum fuerat, vt ſi quo modo fieri poſſet, id tibi conſolationis vellemus impertiri, ac ſignificari per literas, quemadmodum factum iam fuiſſe credimus. Nunc verò intellectâ tuæ Maieſtatis voluntate Patri Generali mandari curauimus, vt dictum Patrem in tuo obſequio ac poteſtate relinquat, cui etiam per literas Cardinalis voluntatem noſtram indicabit. Atque hoc Maieſtati tuæ tandiu conceſſum volumus quandiu libuerit, ſicut ex Breui quod cum his literis accipiet, intelliget facilè. Cæterum Maieſtatem ſcire volumus hoc indultum quod magnâ noſtra cum voluptate tibi in hac occaſione dedimus, nos in omni aliâ lubenter largituros, vt ex his intelligere poſſit, quàm ſingulari amore & beneuolentiâ Maieſtatem tuam proſequamur, cui paternam & Apoſtolicam benedictionem liberaliter impertimus. Datum Romæ anno 1586. die 10. Iunij, anno 2. Pontificatus.

Diploma autem literis annexum ſic habet.

Chariſsimo in Chriſto filio noſtro Henrico tertio Franciæ & Poloniæ Regi Chriſtianiſsimo.

Xiſtus Papa V.

CHariſsime in Chriſto fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex literis Maieſtatis tuæ cognouimus quantopere cupias dilectum filium Emundum ſacerdotem Societatis IESV, *quem eius Ordinis præpoſitus Generalis per literas euocauerat, iſtic eſſe tui ipſius ſcilicet animi fructûs causâ in diuinis rebus, in quibus maximè verſaris, cauſa ipſa per ſe præclara eſt. Concedimus igitur de Emundo, de quo etiam cum præpoſito Generali agi curauimus, atque ad Emundum perſcribi. Vt autem Maieſtati tuæ libentiſsimè gratificati ſumus. Sic diuinæ gratiæ cumulum, lætáque ac felicia omnia ab immenſa Dei bonitate precamur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die* 10. *Iunij, annô* 1586. *Pontificatus noſtri anno* 2. *Antonius Buccapedulius. Hactenus breue.*

Quod ſequitur manu propriâ Augerij exaratum fuit Αὐτόγραφον dedi P. Magio Viſitatori Lugduni 3. Iul. 1588.

CAPVT III.

Lugduno propter ciuilia bella diſcedere cogitur in Italiam, ibique laborat ad obitum vſque.

LVGDVNI, quò Patrem tempeſtas obedientiáque deportarant, clementioris auræ Fauonius non diu ſpirauit. Occupatâ enim per Confœderatos poſtmodùm Principes Ciuitate, cum nihilominus Augerius pro eâ quâ multùm poterat apud populum autoritatis & eloquentiæ vi Regem prædicaret in concionibus, defenderet in circulis, factionem omnem vt legibus Dei Regnique repugnantem damnaret, plebem in officio, Magiſtratus ac Proceres Ciuitatis in legitimi Principis obſequio propè ſolus vnà cum Mandeloto Gubernatore continere conaretur, periculum vitæ primùm adiit, poſitaſque inſidias Deo manum porrigente vitauit.

Deinde Ciuitate religione ſacramenti deuincta fœderatis, cum illo manente fœdus haud quaquam ſtare poſſe crederetur à Fœderatorum primipilis, ad quos Mandeloto extincto ſumma rerum

& autoritatis in vrbe deſcenderat, ex vrbe cui toties olim ſalutem attulerat diſcedere iuſſus eſt, Numine opinor id permittente, vt, qui in multis vitæ actibus, inſtituto, moribus docendi ac dicendi munere magno Chryſoſtomo non fuerat diſſimilis, in vltimâ etiam ſcenâ pro Regis ac publicæ ſalutis cauſa exilium ſubeundo, illum quem magnoperè totâ vitâ coluit amauitque imitandò non deſereret. Nam ſicut olim ætate iam affecta Antiſtes ſanctiſſimus coacto Chalcedone paucorum Epiſcoporum contra Eccleſiæ mores ac ſtatuta conuentu, exilio mulctatus, tandem per occultam eorum conſpirationem Conſtantinopoli, vbi tanto cum plauſu fructúque eius eloquentiæ imbres aurei depluerant, lembo Cucuſum inter viduarum egenorúmque ſuſpiria deportatus eſt; ita Augerius paucorum in vrbe contra Regis voluntatem dominantíum vim expertus, per medias diſpoſitorum in itinere multorum turmas, ne quis abeunte Patre in orphana plebe tumultus exiſteret, ad Rhodani litus deductus eſt. In quo poſteaquam non modo ciuibus eíus aſpectu mœrentibus, ſed etiam mi-

litibus lugentibus eius abſentiam ſalutem impertiuiſſet, toti vrbi fauſta lætáque omnia precatus nauigium paratum conſtanter ipſe lætúſque conſcendit, & Lugdunum à quo toties ſuâ eloquentiâ, labore, & vigiliis pericula peſteſque remouerat, nunquam reuiſurus vltimò deſeruit.

Cæterum abeuntem TurnonenſeCollegium tenuit, donec iter verſus Italiam intenderet, ſummum Pontificem ac R. Patrem Generalem, Societatis IESV, quod ſummopere deſiderabat, aditurus, & rerum à ſe in Gallia geſtarum vtramque paginam oſtenſurus, ſed cùm orta eſſet ad vrbem propinquanti mora aliqua ex perplexa rerum adminiſtratione quæ tum Romæ gerebantur, propter quas in vrbe eſſe ei non expediret, Venetias donec vrbis adeundæ commodior occaſio naſceretur, à R. P. Generali eſt amandatus; indéque reuocatus Bononiam, Collegium quod in ea Ciuitate Societas habet ſuo congreſſu & iucundiſſimâ conſuetudine mirificè recreauit. Ciuitatem verò longè pulcherrimam illuſtrauit concionibus, ad quas tantus erat hominum concurſus Italicè dicen-

tem audientium, quantus in media Gallia eſſe potuiſſet; iſque honor ei ab omnibus præſertim viris principibus habebatur, vt felicitatem maiorem in exilio quam in patria reperiſſe videretur; niſi hanc turbaſſet inopinus execrandúſque amiciſſimi Regis Galliæ interitus. Cuius ſimul ac triſtis nuncius per Collegij Rectorem ad eum perlatus eſt, illicò tantus eum mœror oppreſſit, vt duos dies ſine cibo, ſine voce, ſine luce, ſine colloquio in lacrymis precibuſque conſumpſerit. Nec eſt mihi dubium, quin iam inclinanti ac conſumptæ illius ætati nuncius hic pondus aliquod ad fatum accelerandum attulerit. Vix enim fluxit ab eo tempore vnius anni circuitus, cùm Bononiâ Mediolanum regreſſum & Comum Longobardiæ vrbem per ſpeciem ſanitatis confirmandæ dimiſſum morbus extremus occupauit, qui Regi Henrico comitem iungens, regno ſimul immortali labores optimi Patris coronauit.

CAPVT IV.

Comi in Longobardia piè moritur.

FORTE reditum in Galliam per Mediolanum moliebatur Augerius, cum Deo aliter decernenti placuit eum ad mercedem laborum accerſere, & egregiam eius voluntatem anticipatâ vitæ æternæ ſolutione compenſare. Vix enim pedem in vrbe fixerat, cum ab Archiepiſcopo Gaſpare Viſconti qui Magno Carolo in ſede Mediolanenſi ſuccedebat, ad concionandum in principe templo ſequentis quadrageſimæ diebus inuitatus, Comum vrbem Mediolano propinquam eſt ablegatus poſtulatione quorumdam quibus Mediolanenſis commoratio diſplicebat & afferebat ſuſpicionem.

Verùm, cùm nec ibi vir otij quietiſque impatiens ſine conſuetis laboribus viuere poſſet, dum mandato Epiſcopi Comenſis aures accommodat confeſſionibus ſacrarum Virginum audiendis, & ad pietatem inflammandis curam intendit, morbo corripitur quarto ab aduentûs in vrbem menſe. Cuius initia vt

Ex literis Patris Emanuelis Oreſti oculati teſtis, datis 6. Aprilis, an. 1618 ex vrbe Como, & P. Hieronimi Villeni, eodem tempore Comi docentis.

erant remiſſa, itá ab eo inter varias occupationes aut diſſimulata ſunt, aut contempta; donec aduentante Chriſti naſcentis feſta luce vehementius affliᶜtari cœpit. Cúmque de valetudine curanda moneretur à Sociis, nunquam tamen ita ſibi temperare potuit, quin die natali Chriſti, in ſacello domeſtico tria ſacra de more celebranda ſuſciperet. In priori non procul à conſecratione vis eum animúſque relinquere cœpit, qui poſtmodùm reuertens abſoluendi primi ſacrificij ac ſecundi inchoandi poteſtatem fecit; ſed cùm iterùm poſt lectum Euangelium deſeruiſſet, ægritudini Medicóque Collegij Eudemo Camuſio qui tùm ſacrificanti aderat, tandem dedit manus, poſitiſque Sacerdotalibus indumentis in cubiculum ſe recepit, non ignarus, vt creditum eſt, mortis propinquæ. Quamquam enim illam ineunte morbo formidare videretur, tamen ingraueſcente ita contempſit vt de illa tanquam de re ſuauiſſima & maxime optanda loqueretur.

Sciſcitanti Medico, qui eius curam ſuſceperat, lubenſne ex huius vitæ ſtatione diſcederet, ſe id quàm lubentiſſi-

mè factum reſpondit, atque vt ad mortem eſſet paratior, ſe à prima iuuentute Religioſæ vitæ labores amplexatum eſſe. R. P. Rectori Collegij Comenſis ad ſe confeſſionis de tota vita audiendæ cauſa venienti, læto hilarique vultu confirmauit futurum vt eo ipſo die in ſe abſoluendo Papa exiſteret, ſignificans ſe quamquam non ita periculosè, laborare videretur nihilominus in mortis articulo eſſe: quo tempore Sacerdotes omnes parem cum ſummo Pontifice poteſtatem habent. Eidem paulò antequàm vox eum deficeret quibuſdam ceremoniis vtenti; ſerua, inquit, mi Pater hæc in ſequentem diem, cras enim inter exequias erunt vſui. Afferènti literas è Gallia, de Cæli negotiis, inquit, non de huius mundi rebus cogitandi tempus eſt. Illos verò qui inuiſebant, ad ſe luſtrali aquâ aſpergendum excitans, Date mihi quæſo, aiebat, vndam mortuorum: Itaque aduentantem mortem non modò conſtanter, ſed etiam alacriter expectabat; illud vnum ægrè ferens quòd naturali communíque morte ſpes eius infringeretur crucem ferendi præ copiis quas contra hæreticos in Gallia

Fuit & nomen Bartholomæus Bondinarus Cicata.

Idem refertur de S. Dominico ab Nicolao Ianſenio in eius vita, c. 12.

parari didicerat, & in acie pro Dei & Eccleſiæ causâ moriendi quemadmodum optabat ipſe, & ex ſæpiùs lectis paulò ante obitum R. P. Generalis literis ſibi conceſſum eſſe magnoperè æſtimabat gratulabaturque.

Eodẽ morbi genere extinctum B. Dominicum refert idem Ianſſenius in eius vita.

Cæterum inter dyſenteriæ dolores quibus torquebatur acerrimè, nihil erat in ore frequentius, quam ex Pſalmis Dauidicis aliqua pars ſelectior, & ad pietatem magis compoſita, aut è reliquo ſcripturæ corpore deprompta cum Chriſto colloquia. Quis accuſabit aduerſus Electos Dei, aiebat ex Paulo; Deus qui iuſtificat; quis eſt qui condemnet? modo ex aliis ſcripturæ autoribus orationem tam aptè componebat, vt totam memoriter tenere videretur. At cùm Sacroſanctum Domini corpus viatici loco ad eum perlatum eſt, primò ſe in pauimentum abiecit, indéque tam ſuauiter, tam piè ardenterque cum Chriſto præſente quartâ plus horæ parte locutus eſt, vt ex omnium oculis lacrymas vberes expreſſerit.

Intereà P. Paulus Oliua Prouinciæ Mediolanenſis Prouincialis audito ægritudinis nuncio Comum viſendi Patris causâ

cauſâ feſtinat, factúmque eſt magno vtriuſque gaudio, vt ſatis maturè ad vltimum Sacramentum ei conferendum aduentaret, atque illius extremæ conſtantiæ virtutiſque teſtis eſſet oculatus. Enimuerò ſpectauit hominem antequàm ſancto oleo inungeretur ſine vllo perturbatæ mentis indicio dexteram in Chriſti Crucifixi grandem effigiem porrigere, eaque loqui & facere quæ religioſiſſimus quiſque tali horâ ac tempore loqui & facere magnæ felicitati tribueret. En (peramanter Chriſtum intuens) morior in terra aliena, &c. Deinde præteritæ vitæ noxas acerbiſſimè deteſtatus, Superiorem ſupplex rogauit, vt corpus condi in ſterquilinio in peccatorum pœnam pateretur. Quod cum non impetraſſet, inungenti generosè membra prębebat ad ſingulas preces attentè piéque reſpondens, & fratribus relinquens egregium fortitudinis ac mentis imperterritæ ſpectaculum. Ab inunctione liberi ad orandum vocis meatus adhuc tota nocte fuerunt, manè cum morte luctari cœpit. Quo in certamine quod longum atróxque fuit, cum verba ſæpè non occurrerent manuum crebra complicatio-

ne & tacito labiorum motu latentem pectoris æſtum ſatis explicabat.

Aderat illi ſuprema vitæ pars, cum aſſidenti ſocio, quem ex Gallia diſcedens ſibi comitem aſciuerat: Age, inquit, intuere turbam, quæ mihi præſtolatur. Non audis ſuaues canentium modos. O beatam dulcémque cæli ſymphoniam! O cæleſtes beatarum mentium choros! abeamus ergò, abeamus. Nec longè ab his ſermonibus comitem ſe præbuit expectantibus cæli Ciuibus, quorum mores in vita fuerat imitatus. Creditum eſt eam turbam, quæ morienti adfuit conſtitiſſe ex pueris, quos olim in Gallia peſtis tempore Baptiſmo abluerat, paueratque Chriſti lacte ac deliciis, nec inanem fuiſſe coniecturam ſequentis capitis viſio demonſtrabit. Porro deceſſit annos ſexaginta & amplius natus; de quibus pluſquam quadraginta in Societate IESV poſuerat, Ianuarij die decimo nono, quo Marij, Marthæ, Audifacis, & Abachum Martyrum in Eccleſia recurrit memoria, anno ſeculi ſuperioris nonageſimo primo. Vir planè virtutis excellentis, nec tamen omnibus perſpectæ in quo cum incredibili animi ma-

Iiſdem penè verbis vſus legitur Beatus Vrſinus Epiſcopus Vercellēſis moriens, & SS. Apoſtolos Petrum & Paulum alloquens ſibi in exitu apparentes, & inuitantes ad cœlum.

P. Michaël Coiſſardus ſexaginta ſex ei tribuit.

gnitudine & ſtudio iuuandæ Eccleſiæ par laborum perpeſſio certauit.

Primus in templo Collegij Comenſis ſepultus eſt loco inſigni & à cæteris diſtincto, ſpeciéſque defuncto multò pulchrior iucundiórque quàm viuentis acceſſit, corpore non modo non fœtente, ſed ſuauem potius ambroſiumque odorem in intuentium nares inſpirante, quibus tam placidus ac ſuauis è vitâ diſceſſus, non modo præcōceptam ex eius inſigni virtute ac rebus geſtis ſanctitatis opinionem confirmauit, ſed omne dubium ſuſtulit adeptæ iam in cælo felicitatis.

B. Petrus Veronenſis Martyr & Concionator egregius Ord. S. Dominici Comi quoque mortuus eſt & ſepultus. Surius in eius vita.

CAPVT V.

Corporis forma & ſcriptorum Catalogus, cum acutè dictis.

FORMA in eo fuit plena dignitatis & Religioſæ modeſtiæ, ſtatura mediocritatem ſuperans, honeſtâ ac liberali facie, extantibus hinc inde genarum ſupernis partibus, quod neſcio quam maieſtatem concionanti & perſuadendi vim afferebat; Membrorum decens & compacta conformatio, recta, ad dicendum compoſita egregiè, frons ampla &

capax, grande caput ac teres, naſus modicè curuus & infernè aliquantulùm patens, oculi acres ac vegeti, hilaritatem præ ſe ferentes, os venuſtum, color candore ac rubore miſtus, denſiore capillo, barbáque ex caſtaneo albicante, corpus robuſtum & laborum patiens, vox pura, flexibilis, ſuauis, facilè audientium corda penetrans, geſtus tam rebus obſequens, vt quidquid vellet, continuo poſſet imitari. Prodibat in publicum ſemper cum veſte Sacerdotali, quod pallio Miniſtri Caluiniſtici in Gallia vterentur, cultu ſpectabili ac modeſto quem ſola munditics illuſtrabat. Erat in ſermone familiaris comis vrbanúſque, & ad explicanda quæ conceperat mirè promptus, amicus ſtudij, cubiculi diligens cuſtos, paucis familiaris, tam admirabili facilitate naturæ præditus conciliandorum ſibi hominum cuiuſlibet fortunæ, & conditionis vt omnibus charus eſſet.

Scripti autem ab eo libri à Petro Ribadeneira Hiſpano, Antonio Poſſeuino Italo, Philippo Alegambó Belga, Francíſco à Cruce Cenomanenſi Gallo in Bibliothecis hoc fermè ordine numerantur.

Catechiſmus Maior,[1] opus perquàm elegans & eruditum, in quem Franciſcus Antonius Luſitanus Societatis Iesv, ex autoribus quos Emundus citat ad marginem volumen à ſe collectum edi curauit.

[1] Editus primùm Lugduni an 1553. & alibi ſæpius.

Catechiſmus Minor[2] Gallicè, Grecè & Latinè ad iuuentutis inſtitutionem faciliorem.

[2] Apud Brumenam Niuellium Pariſiis anno 1569.

Tractatus[3] de vera, reali & corporali præſentia Iesv Christi in ſanctiſſimo altaris Sacramento.

[3] Pariſiis apud Petrũ Huillerium an. 1567.

Item Tractatus de reliquis Eccleſiæ Sacramentis.

Saccharum ſpirituale ad abſtergendam amaritudinem calamitatum quæ eo tempore vigebant.

Pædagogus militum ſeu[4] inſtitutio militaris.

[4] Pariſiis apud Sebaſtianum Niuellum an. 1568.

Theſaurus precum pro vniuſcuiuſque ſtatu.

Libellus de audiendo cum fructu Miſſæ ſacrificio, & confeſſione ritè peragendâ.

Metanæalogia[5] pro Pœnitentium defenſione.

[5] Pariſiis apud Iametum an. 1584.

Epiſtolæ quatuor, vna contra Viretum pro Societate Iesv tuenda. Altera con-

6 Burdigalæ apud Simonem Milangium an. 1578

7 Antuerpiæ 1568. apud Plantinum.

ſolatoria 6 ad Lugdunenſes peſte infectos.

Tertia 7 Martiali à ſe emendato ſuo nomine conſignata; & quam præfixit Bibliorum Louanienſium Gallicæ editioni.

Circunferuntur ſcriptæ verſibus piæ & elegantes Odæ.

8 Lugduni apud Benedictum Rigaudum an 1571.

Primæ 8 literæ Indiarum & Iaponiæ ab eo tranſlatæ ſunt ex Latino Petri Maffei idiomate; & Thomæ à Kempis libellus de Chriſti imitatione.

Alia per multa tùm Latina tùm Gallica lingua ſcripta reliquit, ſolutâ & vinctâ oratione, quæ in Collegio Lugdunenſi, cui peramplam & plane Regiam Bibliothecam ſibi ab Henrico tertio Rege Chriſtianiſſimo datam è Gallia diſcedens donauit, cuſtodiri dicuntur.

9 S. Macharij Alexandrini, S. Martini Epiſcopi Turonenſis. B. Iordani Generalis Ordinis S. Dominici.

Et, vt erat acri facetóque ingenio, ità in acutè facetéque dictis excelluit ſancti Thomæ Aquinatis & aliorum virorum illuſtrium 9 exemplo, quorum multa ab eorum vitę ſcriptoribus referuntur, dum hic Augerij pauca de multis quæ audiui ex Gallico idiomate repræſento.

Burdigalæ vocatus ab Catharina Medicæa Regina Galliæ vt ſciret quid reſ-

pondendum eſſet hæreticis petentibus cœmeterium ſibi dari in arcâ Prioratus ſancti Iacobi, vt Collegium ædificari cœperat, ad humanda ſuorum corpora; continuò præter expectationem Magnatum qui aderant frequenti ac nobili coronâ, concedendum reſpondit, modò omnes ſimul & eodem tempore iuberet in eo ſepeliri: quod acutè dictum cum omnes voce ac plauſu approbaſſent, hæreticos ab iniuſta poſtulatione deterruit, & Reginam reſpondendi obligatione liberauit.

Ibidem cum Cœnobium Franciſcanorum, in quo tunc pauci erant Religioſi, ei offerretur ad Collegium extruendum, recuſauit cum diceret, Egeno ac pauperi Franciſco non modo nihil eſſe adimendum, ſed erogandum potius ex Collegij ſubſtructione, quod paulò pòſt illud magno Religioſorum numero locupletauit.

Tumultuoſo ac factioſo militi, cui nomen Limax, iactanti minas, & petenti quid ſibi facto eſſet opus; ſubtiliter in coclea cum pace manendum reſpondit.

Interrogatus quâ arte quis facilè poſſet in Oratorem perfectum euadere? ſi

voluat, ait, attentè cum Paulo Chryſoſtomum. Cui cum obiectum eſſet multa deeſſe Chryſoſtomo; Nemo inquit, tam eſt infans aut mutus, quem Chryſoſtomus accuratè lectus non reddere poſſit vocalem & eloquentem.

Rectorem, qui Conſtitutionibus Societatis IESV interpretandis de ſuo aliquid addiderat, comiter increpuit, cum diceret Textum Conſtitutionum ita purum expreſſúmque eſſe, vt vel vnius apicis acceſſio aut deceſſio illas veluti Chriſti verbum deformaret.

Dolanis in Collegij fundatione petentibus, vt nemini niſi Dolâ oriundo, Collegio præeſſe liceret; Recipio, inquit, & quo id commodè fieri poſſit, lectiſſimos quoſque de liberis veſtris in Societatem admittendi facultatem mihi ſumo; quo reſponſo illorum petitionem illicò diſcuſſit.

CAPVT VI.

Pia quædam mulier Augerium in obitu inter Beatorum turmas videt.

EODEM fermè tempore, quo cum morte luctabatur Augerius, Comi

Nicolinæ Orſelinæ notæ ſanctitatis & patientiæ, fœminæ Deus paratam famulo gloriam ac felicitatem oſtendit, oblatâ ei ſpecie plurimarum beatarum mentium Patrem in Cælum magnâ pompâ comitantium, ex qua his quæ à nobis in eius obitu dicta ſunt, non exigua fides accedet. Eam autem reddam ex literis, quas P. Bernardus Solabellus Societatis IESV ſacerdos perquàm pius, & in Orſelinæ conſcientia regenda diu verſatus, anno milleſimo ſexenteſimo octauo Como ſcripſit ad Reuerendum P. Ludouicum Richeomum Romæ agentem. Quamuis enim ex literis annuis Societatis IESV anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi primi peti poſſet, & ex Bibliotheca ſcriptorum eiuſdem Societatis à Cenſoribus Librorum Romæ approbata, in quibus illa viſio narratur. Verbo Emundus Augerius pag. 100. Quòd tamen in his omiſſa quędam ſunt, nonnulla obſcurè tantùm indicata, malo rem totam ex eius qui ſæpiùs Orſelinâ narrante cognouit, oratione complecti, quam mea, ne quid additum fortè quis ſuſpicetur.

Literæ P. Bernardi Solabelli. Ad R. P. Ludouicum Richeomum Galliarum Aßiſtentem.

NIhil adhuc accepi de P. Emundi felicis recordationis vitâ, niſi certam ac probatam inſignis cuiuſdam viſionis narrationem: cui confirmandæ atque ad veſtram Reuerentiam perſcribendæ non oberit opinor hæc circunſtantia, quod ego illius fœminæ confeßiones excipio, cui Deus hanc gratiam impertiuit, proindeque potuerim exactè ac ſingillatim circumſtantias omnes illius reuelationis perquirere; ſicuti me feciſſe ſæpiùs non diffiteor, etſi non cum illa loquar niſi de rebus ad animi fructum ſpectantibus, idque cum quadam honoris ac reuerentiæ ſignificatione, quòd illa iaceat ægra ſemper in lectulo, & continuis dolorum moleſtiis plus abhinc triginta tribus annis afficiatur. Ita ergo ſe mihi indicauit.

Cum eſſem monita, vt pro ſanitate Patris Emundi Augerij periculosè laborantis orationes ad Deum funderem, ſtatim me interiùs permoueri ſenſi ad optandam ei potiùs æternam felicitatem, quam recupera-

tionem priſtinæ ſanitatis. Illo paucis pòſt diebus extincto P. Rectori magna cum animi voluptate & inſolitâ lætitiâ ſignificaui feliciter omninò cum P. Emundo actum, quod Deus illum venire Comum permiſiſſet, vt iſtic mortalem vitam immortali permutaret, ideoque illum cum vniuerſo Collegio numini debere gratias agere, hymnumque perſoluere feſtæ ac publicæ in Eccleſia gratulationis, eò quod imminente mortis horâ videbar mihi illum audire de rebus altiſſimis ac myſteriis diuiniſſimis alterius vitæ diſſerentem. Horâ circiter noctis alterâ duos Angelos animaduerti hinc inde Patris lectum circunſtantes, explicare mappam candoris eximij, dum tertius veſtem pulcherrimam ac ſplendidam tenebat eo ferè modo quo ſi ad induendum Patrem illius è vitâ exitum expectaret. Poſt paulò magnam beatorum multitudinem aſpexi cubiculum pulchro ordine & admirabili pompâ ingredientium. Circa ſeptimam noctis tota illa ſanctorum diuina cohors moueri cœpit, & incedere viâ latâ, ſpatioſâ, diuite & à terris ad cælum vſque pertingente. Quod cum mihi ſtuporem attuliſſet, interrogaui neſcio quem mihi tum ignotum de tam magnifico feſtóque apparatu, & quid tam læta

ac ſolemnis pompæ ſcena ſignificaret. Tum ille, ſtatim intelliges inquit: & protinus Patrem Emundum vidi pleno Maieſtatis gradu & ſpecie hominem ſuperante venientem veſte duplici magnificè coopertum, quarum interior altera niuem æquabat candore, altera ſuperior omnium colorum pellucidâ varietate fulgurabat. Túmque cogitare ſubiit candore puritatem illius, cæteris coloribus ardentem charitatem in Deum & proximum repræſentari. Præcedebant ordine pereleganti diuerſæ puerorum turmæ Patris laudes ſuauiſsimè canentium, & ſæpiùs in eum oculos, hortantium more, reflectendo ad maturandum feſtinandúmque inuitabant. Præterea in Cœlo ſeſe meis obtutibus obtulit menſa exquiſitiſsimi operis & pretij, in qua expectabatur ab omnibus Societatis IESV *Patribus, qui tùm æternâ beatitudine fruebantur. Atque hic mihi reſtituta non potui gaudio lætitiáque ſpiritali lacrymas continere, quotieſque poſtea de Beato illo Patre cogitabam aut loquebar, toties inuſitatum pietatis ac deuotionis ſenſum experiebar. Accidit etiam, vt huic reuelationi non omninò fidem adhibens, quoties pro eius anima preces fundere vellem, & pſalmum in Eccleſia recitari ſolitum pro*

defunctis pronunciare, cùm aduerſum Requiem æternam dona eis Domine, ventum erat, nuſquam etiam adhibito conatu illum pronuntiare poſſem, ſed illius loco in animum linguamque recurreret Gloria Patri & Filio.

Aliquid ſimile accidiſſe in obitu Ioannis Beromani legitur in eius vita.

Hactenus viſionis hiſtoria, fama hic conſtante aſſeritur Patrem Emundum reuelatione multa didiciſſe, quæ poſtea eo modo, quo ab eo prædicta ſunt, contigerunt. Nondum de abſente Patre quicquam recepi, ad quem de illa re literas dederam, pro certóque habetur hic omnia in Patris codicillis ſcripta fuiſſe, quos ipſe demiſſionis & modeſtiæ causâ ante mortem lacerari, aut comburi iuſſit. Alia expecto quæ ſi tempori venerint, ad Reuerentiam Veſtram perferri curabo. Interim ſanctis ſacrificiis veſtris me commendo. Comi 20. Maij 1608.

Veſtræ Reuerentiæ,

Seruus in Chriſto Bernardus Solabellus.

His duo mihi viſa ſunt adiungenda, quæ ipſe aliunde didici. Primum eſt, auditum fuiſſe aliquando P. Clementem Puteanum virum Augerij quondam per-

ſtudioſum, eloquentiâ item & rerum in Gallia cum laude & virtute geſtarum gloriâ clariſſimum, cum poſt Augerij mortem affirmaret, illum etiam ſibi apparuiſſe, atque de beatitudine adepta ſe feciſſe certiorem. Alterum, eándem fœminam, quæ eum inter cœlites ſpectauit ſolitam dicere, Deum ex ſingulari in Emundum beneuolentiâ permiſiſſe, vt ſub finem vitæ multa pateretur, ac patria pulſus in loco moreretur obſcuro, quo per eas moleſtias ante mortem pœnas extingueret, leuiorum quarumdam imperfectionum, quibus Deum in terris offenderat.

CAPVT VII.

Quid de Augerio ſenſerint ſcripſerintque viri graues & eruditi?

INCIPIAM ab externis, quorum laus vt ſuſpicione aſſentationis liberior, ita eſt autoritate robuſtior. Renatus Chopinus Iureconſultus Andegauenſis doctrinâ & autoritate clarus, poſtquam prima Societatis IESV incunabula, confirmationem, progreſſum ordine temporum recenſuit, Exin, inquit, (duos ex-

Renatus Chopinus.

cellenti virtute ac doctrina viros coniungens) Societatis Iesv feliciter iactis fundamentis, Maldonatus & Augerius, ſocijque id genus compluſculi ſacræ diſciplinæ præcones frequenti concione doctrinam admirante cum ſumma pietate coniunctam, qui certè potiuntur partâ ex optimis ſtudiis inſigni gloriâ, quæ nixa veris virtutis radicibus nunquam defloreſcet.

Huic iungendus ætate par, non tamen eodem ſemper in noſtram Societatem animo Stephanus Paſchaſius, qui libro quarto Epiſtolarum de Societatis item primordiis agens: In ea ſocietate, inquit, multi viri docti reperiebantur, quos inter Emundus Augerius, & Maldonatus eminebant; ille Concionator inſignis, hic linguarum omnium cognitione cæteriſque diſciplinis inſtructus Theologiâ & Philoſophiâ excellebat. Illi ergò in hanc vrbem miſſi vt eruditionem ſuam oſtenderent, magno hominum plauſu ac concurſu excepti ſunt. Ex quibus facilè intelligi poteſt Augerium ipſis Collegij Claromontani initiis Pariſiis, quod diximus, floruiſſe, iam tùm eloquentiâ ac dicendi fa-

Stephanus Paſchaſius.

cultate clarum extitiſſe.

Florimundus Raimundus.

Florimundus autem Raimundus celebris iuxta ac pius apud Burdigalam Conſiliarius P. Clementi Puteano magno item eloquentiâ & vitæ integritate viro, illum ſocians ſub finem libri quinti eruditi illius operis, quod de hæreſis origine compoſuit, ita paucis Augerium deſcribit. Sed antequam caput hoc claudam, tacendum non eſt præſtantiſſimos omnium Oratorum, quos Gallia vidit, fuiſſe Emundum Augerium Campanum, & Clementem Puteanum Pariſienſem è Societate IESV ambos, Theologiâ ac Philoſophiâ illuſtres, eloquentiâ verò & dicendi vbertate prope diuinos, qui ſcirent in omnem formam figurámque animos Auditorum fingere, ſuſpiria extorquere cum vellent & ſiſtere, lacrymas ciere ex omnium oculis & premere, eóque quò luberet dicendò flectere. Prior Augerius animum habebat rebus ingentibus idoneum, fortem, conſtantem, erectum, aſſuetum laboribus, & actuoſum, qui facilè ſe in Regum ac principum animos immergeret. Enimuerò Henrico tertio Regi chariſſimus fuit. Is cum feliciter Collegij Dolani

&

& Lugdunenſis fundamenta ieciſſet, ſub vltima vitæ tempora, vale dicendo Aulæ, vt in otio facilius de ſuo ex hac vita diſceſſu ſecum loqueretur, Lugdunum ſe recepit. Verum cum inopinatus de obitu Ducis Guiſij nuncius quoſdam de Ciuitate eò dementiæ furoríſque perduxiſſet, vt aduerſus Regem arma caperent, Emundus miſeratus errorem, in quem ſe populus induebat conatus eſt ſuis concionibus Patronus ipſe iuſtitiæ ac Principi fauens, cuius ſæpè conſcientiam pertractarat, de periculo & ſcelere rebelles docere. Denique vt ſe ab inſidiis iratæ ac efferatæ multitudinis eriperet, non modo Lugduno, ſed etiam ex Gallia cedere coactus eſt, & Comum abire, vbi anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo diem clauſit extremum.

Nec multum inferiora iſtis ſcripſit ad me Ludouicus Marius pereloquens ac doctus Eccleſiæ Sezannienſis Parochus & Decanus, cum ait ſe Augerium ſæpius vidiſſe Toloſæ, apud Auunculum concionum causâ commorantem, & Lutetiæ audiſſe frequenter, modò Italicè dicentem, coram Legato Summi Ponti- Ludouicus Marius.

ficis; modò Gallicè apud Henricum Regem de Pœnitentiæ ſacramento tam vehementer & ornatè diſſerentem, vt ad eam amplectendam omnium auditorum animos impelleret. Prætereà vnum fuiſſe ex primis, qui cum Claudio Saintefio, Simone Vigorio, & Petro Diuolæo doctiſſimis viris hæreticorum errores & ſomnia, quâ ſcriptis libris, quâ voce in concionibus redarguit. Nunquam ſe reperiſſe quemquam qui in congreſſu familiari (in quo de omni re ſubito ac eruditè pertractabat) eſſet gratior ac iucundior, qui Principibus viris, ac præſertim Henrico Regi carior, & tam ſupra illud omne quod à quoquam de homine dici poſſit.

Illuſtriſſimus Cardinalis Peronius.

Denique Illuſtriſſimus Cardinalis Perronius Epiſtolâ, quam commentario in Pſalmum 24 præfixit inter excellentiſſimos ſui ſeculi viros adnumerat, dicitúrque ad cœlum vſque ſæpiùs verbo virtutes eius & eloquentiam ſuſtuliſſe.

Scæuola Sammarthanus.

Scæuola verò Sammarthanus, qui de viris doctrina illuſtribus, qui in Gallia floruerunt ſæculo poſtremo, nuper librum elegantem edidit, Augerio poſt obitum ſuum inter illos deſtinauit elo-

gium, ſed modeſtè prudentérque rogatus vt abſtineret, ægrè quidem abſtinuit, & animo poſtmodùm tribuendi cum tempus ferret, & Societati gratum eſſe intelligeret.

Accedunt duo poëtarum ſui temporis lumina, Ioannes Auratus & Petrus Ronſardus, quorum hic propter Emundi in hæreticis ad fidem conuertendis laborem, nautæ viarum perito in mari errantes de litore ad rectam viam reuocanti ſuis verſibus comparat. Ille Anagrammate ſatis felici ſtudium eius in cohortando ad pietatem Henrico tertio prædicat, & pluribus vatibus ac prophetis diuerſorum Regum annumerat. **Ioan. Auratus. Petrus Ronſardus.**

Anagrammatiſmus.

EMVNDVS AVGERIVS.
REGI SVM VNVS A DEO.

Regibus Iſacidis olim Deus ipſe Prophetas
Sceptra quibus regerēt & ſua facta dedit.
Iſaides teſtis reliquos ne perſequar omnes
Cui datus eſt vitæ regula dúxq; Nathan.
Miſit & ad Reges alios qui falſa deorum
Signa colunt, vates tempore quemq; ſuo.

Orpheos eſt vſus monitis & pectine docto
Auricomam Colchis qui rate vexit ouem.
Tireſias cæcus Thebanis profuit Augur,
Atreidas Calchas iuuit amicus ope.
Nunc quia reſpondent priſcorum nupera factis,
Dum Rex Henricus Gallica ſceptra tenet.
Non certa ſine lege poli (Comes eſt datus illi)
Augeri, tua quod nomina verſa probant.
Nam currenti vltrò ſummi mandata Tonantis
Tu ſtimulos addens, ocyus ire facis.

Ioannes Auratus Poëta & Interpres Regius.

Reſtant adhuc duorum dicta à quibus abſtinere vix licet, vnum Theualij nobilis ac ſapientis viri, qui cum eſſet à Carolo nono Rege, vrbis & arcis Metenſis Gubernator effectus, nihil aliud in digreſſu ab eo poſtulauit ad illius vrbis ſalutem aut conſeruationem præter Emundum Augerium, quo comite & adiutore nihil ſibi aut ab hæretico, aut ab alio quouis hoſte timendum eſſe credebat, aiebátque. Alterum Franciſci Crucimani in ſua Bibliotheca affirman-

Theualus.

Franciſcus Crucimanus.

tis, Emundum Augerium Diœceſi Tre-cenſem inter primos ſui Ordinis ſcientiâ & eloquentiâ inſignem, ſcripſiſſe multa quæ commemorat, nec ceſſare plura ſcribere quotidie, & populum Verbo Dei inſtituere, donec alia ab ſe Latino patrióque ſermone doctiſſimè ſcripta in lucem edat.

Eorum autem qui de Societate IESV eius virtuti teſtimonium amplum reddiderunt, ducet agmen, vt dignitate cæteris, ita & autoritate Princeps R. P. Iacobus Laineſius is qui ſecundus à ſancto Ignatio vniuerſam Societatem rexit. Fertur paulò ante mortem cum è Gallia, vbi rerum Emundi teſtis fuerat, Romam reuerteretur in publico Sociorum conſeſſu dixiſſe, plures ex vnius P. Emundi Augerij laboribus aſſiduis, fructus ad Eccleſiam rediiſſe, quam ex eorum omnium, qui tùm in bene amplâ Prouinciâ verſabantur: quód elogium viri tanti támque ſapientis non caret magnâ commendatione, cum ab eo dictum ſit, qui Emundum & noſſet optimè, & hominum virtutem pro dignitate æſtimare poſſet.

P. Iacobus Lainez.

Laineſio ferme æqualis tempore &

viuendi modo fuit Oliuerius Manareus, cuius Manuſcriptus codex de Emundo, cui Romæ & in Gallia fuit perfamiliaris, ſic loquitur. Sacerdos factus totum ſe tradidit curandæ ſaluti animarum, confeſſionibus audiendis, viſitandis ægris, & hoſpitalibus, atque incarceratis, demùm conuerſandò cum proximo in eius ſalutem aſſiduè. Erat in laboribus indefeſſus, diebus Dominicis & feſtis, binas vel ternas conciones habens, & nihilominus vacans ante & poſt concionem excipiendis indeſinenter Pœnitentium confeſſionibus. Porrò in concionandò tantum acceperat à Domino talentum, vt omnium penè calculo iudicaretur primus totius Regni Concionator. Habebat enim magnam vim dicendi, ardebat zelo ſalutis animarum, adeóque dicendò inflammabatur vt auditores raperet, víxque maxima templa eos caperent. Concionatus eſt in Aula Regia aliquandiu, cum enim veniſſet Pariſios paulò ante Aduentum ad quædam curanda negotia, rogatus à Præſidibus & Conſiliariis Parlamenti, vt quoniam cætera Vrbis templa ab aliis Concionatoribus erant occupata, conciones per Aduentum ha-

beret in magno atrio Palatij Regij, ad quod conuenire ſolent qui lites & cauſas habent controuerſas, in eo (quod numquam ante viſum fuerat) tanto vtriuſque ſexus, & præcipue nobilium virorum & mulierum concurſu auditus eſt, vt ſecum inde in Aquitaniam reuertens vberrimam frugum copiam reportarit.

Sequentur Petrus Ribadeneira & Franciſcus Coſterus ambo ſcriptis & rerum geſtarum gloriâ noti, quorum primus libro de ſcriptoribus Societatis illum Poëtam & Oratorem excellentem, ingenio, memoria, iudicióque præclarum facit; Docet in Galliis multa mirandaque patraſſe pro fidei Catholicæ defenſione, primarias illius vrbes concionibus illuſtraſſe, Collegiaque in illis inſtituiſſe, Lugdunum peſte corporali & ſpiritali propter hæreſes grauiſſimè afflictum tùm vigiliâ, atque induſtria, tùm doctrinâ atque conſilio ab interitu propemodùm vindicaſſe. P. Petrus Ribadeneira.

Alter ſcriptis ad me anno milleſimo ſexenteſimo decimo octauo, Bruxella literis paucis vt ſenem 86. annorum loqui oportebat, omnia quæ de Augerio dici Franciſcus Coſterus.

poſſent, coërcuit, cum dixit, Virum pium fuiſſe, comem, affabilem, omnibuſque charum, denique talem, vt omnem commendationem mereretur.

P. Antonius Poſſeuinus. Poſſeuinus verò eius quondam in labore ſocius, in Bibliotheca floruiſſe illum affirmat ab anno 1560. vſque ad 1590. cum maximos labores Carolo nono Rege tùm concionibus, tùm in ſumma Lugdunenſi peſtilentiâ & aliis quibuſcunque piis operibus ſubiiſſet.

P. Theophilus Raynaudus. Appellat illum Theophilus Raynaudus, libro de Martyrio per peſtem Chriſtianorum ſui temporis oratorum principem.

P. Cornelius à Lapide. Cornelius à Lapide procœmio in Iſaiam Prophetam: Emundus Augerius inquit, ob dicendi efficaciam vulgò Tuba Franciæ appellatus, ſic omnes ad ſe concionando rapiebat, vt cum populi multitudinem templa non caperent, eſſet audiendus in agris, & ſub dio; plebs enim ab eius ore perinde ac infans à matris vbere pendebat, ſinebatque ſe eius mirâ dicendi perſuadendíque vi & energia quocumque volebat impelli. Non alios terebat quam Iſaiam & ſanctum Paulum, ſingulíſque concionibus vnum Iſaiæ, al-

terum Pauli locum pertractabat fusè ac neruosè. Quare ita ſuis placuit, vt omnes in ſui admirationem primùm, deinde in ſententiam transferret. Ferunt Franci ipſum ad quadraginta hominum millia ad frugem & ſanctimoniam conuertiſſe.

His quorum nemo ex Gallia originem ducit ſuccedunt aptè & merito Galli complures, qui Augerio tempore ferme æquales multis in locis illum viderunt & diuturna eius conſuetudine ſunt vſi. Et quidem Martinus Ruellus Burdigalæ Augerio perfamiliaris literis quas exarauit; vas, inquit aureum fuit Emundus Augerius in medio Eccleſiæ Gallicanæ poſitum & ornatum omni lapide pretioſo, hoc eſt ſplendore virtutum omnium quas Conſtitutiones Societatis Iesv requirunt. Vixit quibuſdam ſupra ſexaginta annis, & ſub Carolo & Henrico Regibus floruit, eloquentiâ, conuerſatione, heroicis operibus, vbique ferè per ſpatium annorum triginta clarus, ſed animi magnitudine, comitate, ac ſuauitate ſermonis, timore Dei, ſtudio Pœnitentiæ, & amore perferendi vexillum Chriſti per Orbem vniuerſum multò il-

P. Martinus Ruellus.

luſtrior, dignúſque cui ob innumera beneficia præcipuis Galliæ vrbibus collata, Apoſtoli tribuatur nomen.

P. Gabriel à Porta.

At Gabriel à Porta, is qui totis quadraginta annis Theologiam in eadem vrbe docuit, & reſpondentem huic muneri collegit eruditionis famam, teſtatur ſe toto trium annorum tempore quo cum Augerio Burdigalæ fuit, animaduertiſſe illum ità ſobrium ac temperantem, vt vnica refectione, quæ frequenter ſolo pane conſtabat, vteretur; ita vigiliarum, paupertatis, Pœnitentiæ & diuerſarum auſteritatum laboribus confectum, vt pedibus intra calceos nudis ſæpe ſuggeſtum dicendi causâ conſcenderet, & inde ad audiendas multarum horarum Confeſſiones deſcenderet, quamuis eodem die ad veſperam eſſet iterum concionaturus. Pœnitentiæ labores prædicabat imprimis, & ijs qui eius amore tenebantur, multiplices domandi ac macerandi corporis formas, leges, & tempora præſcribebat. Vidi cùm feruore magno peroraret, homines iudicio & autoritate præſtantes, modò expalleſcere, modo rubore ſuffundi, pro qualitate materiæ quam tractabat. Vidi & alios ab

eius concionibus diſcedere, oculis madentibus, & vultu in terram depreſſo, & poſtmodum exclamare cum admiratione in has voces, fieri ne poteſt, vt ab homine mortali prodeat ſermo tantæ virtutis, quanta in iſto deprehenditur eſſe, & communi omnium approbatione ſentitur! Vidi quando circa finem concionis ad aliquod opus pium pro corporis vel animi ſalute proximorum aggrediendum vel ſuſcipiendum erat hortatus, mox Eccleſiæ ſacrarium redundare viris, qui ſe ſuaſque facultates ad exequendum & conficiendum ſponte offerrent.

Poſſent & hîc alij complures Societatis IESV in Gallia Patres rerum Augerij ſpectatores ac laudatores eximij nominari, duobus iſtis doctrina & vitæ integritate non inferiores, & Galliæ vniuerſæ ob res præclare geſtas magis noti, quales fuerunt Petrus Cotonus, Ioannes Suffranus, Iacobus Sirmondus, eius in Regij Concionatoris & Confeſſarij munere ſucceſſores: Chriſtophorus Balthaſar, Stephanus Charletus, Stephanus Binetus, viri ſpectatæ apud ſuos & quoſuis alios prudentiæ & autoritatis; Michaël Coſſardus, Iacobus Salianus, Chri-

ſtophorus Broſſardus, Fronto-Ducæus, Ludouicus Grangerus, Ioannes Girardus, Ludouicus Faninus, Petrus Lamartius, & alij qui Augerij facta non ſolum grata recordatione, ſed etiam excellenti veneratione perſecuti, amplam eius vitæ aggrediendæ atque conſcribendæ occaſionem aut materiam præbuerunt. Verùm præſtat iſtud caput prolixum ſatis Ludouici Richeomi viri de tota Societate IESV Galliáque bene meriti ſcriptis terminari quàm iſtorum verbis, quæ vt paucis cognita ſunt, ita debiliora ſunt ad faciendam fidem.

Is igitur de Emundo, quem alibi Torrentem Eloquentiæ Gallicanæ, Doctorem & Confeſſorem Eccleſiæ appellat, & ait primùm in ſuggeſtus Concionatorum facultatem dicendi introduxiſſe. In notis, quas ad cuiuſdam Pariſienſis Aduocati errata elucubrauit, ſic loquitur. Ex eodem ſpiritu hypocritam P. Emundum Augerium vita functum appellat, eique inſignem calumniam affingit. Si quis enim in ſermone, moribus ac Chriſtiano homine dignis actionibus ſincerus ac candidus fuit vnquam, is certè fuit, poſſúmque ego, qui eius fami-

liari conſuetudine ſæpe ſum vſus, de eo confirmare, nullum ab eo vitium tam alienum eſſe, quàm quod ei affingitur: quo tantum dignus eſt, qui religionem ſimulat, qui Catholicum agit ex cute & vultu, mente verò hæreticum & Caluiniſtam tegit. P. Emundi mores longè his diſſimiles fuerunt, qui publicè vita ac ſermone Catholicam veritatem aduerſus hæreticos propugnabat, pietatem aduerſus impietatem, pacem aduerſus ſeditionem prædicabat. Teſtis eſt vniuerſa Gallia, quæ illum vidit à primis ad vltima vſque ſeditionum Gallicarum tempora, & ſæpè cum admiratione feruoris & eloquentiæ audiuit. Qui ſecundo bello ciuili ab hæreticis captus mortem imminentem non niſi Numinis inuſitatâ prouidentiâ illum ad maiora reſeruante vitauit, quem Gallia ſudantem vidit pro cauſa Dei, pro Eccleſiæ defenſione, pro ſalute ac capite duorum Regum Caroli noni & Henrici tertij, pro quo tuendo cùm omnes ei aduerſabantur, cædis periculum tantùm non adiit, quem vitam negligere experta eſt pro conſeruandis ijs qui peſte laborabant, præſertim Lugduni; ob quas

virtutes & heroica facta ab omnibus Catholicis amabatur, colebatúrque mirificè, tantùm Miniſtris hæreticorum infenſus infeſtúſque, à quibus, vt nunc ab Aduocato vexabatur. Sed magna laus ad hunc Patrem reuertitur non ſolùm ex tot eximiis in Catholicam Eccleſiam Deúmque officiis, ſed etiam ex eo quod illius ore calamóque perſtrictus, qui hæreſim non modo laudare, ſed etiam propugnare ac propagare in Gallia conatur.

CAPVT VIII.

Eius Virtutes & inſigniora opera in Epitomen redacta.

Βέβαια γὰρ ἀεὶ καὶ πάγια καὶ ἀθάνατα μένει τὰ τῶν ἁγίων ἔργα παρὰ Θεῷ φιλαπόδεκτα, ὥσπερ οἰκεῖον ἀεὶ κλέος, καὶ ἀνθρώπων τῶν ἐν τῇ γῇ ἐπιστρεφομένων ὠφέλειαν. Baſilius Seleu. in vita S. Theclæ.

QVAMQVAM ex his quæ hactenus de Augerio commemorata ſunt, facile eſt virtutes intueri, quæ in eo præcipuæ fuerunt, quia tamen à me quædam de induſtria prætermiſſa ſunt, earum exempla, & virtutum lumina, gemmarum inſtar nunquam melius emicant, quàm dum vniuntur; placuit in hoc caput illigare præcipuas, vt quæ diuerſis huius hiſtoriæ capitibus diſperſæ minorem vim habere poſſent ad illuſtrandum

nomen Augerij, coactæ ac conglobatæ vehementius oculos ac mentes intuentium feriant, & ardentius excitent ad imitationem.

Demiſſioni animi, quæ vulgò humilitas dicitur, & eſt omnium virtutum mater, primæ partes erunt; quam coluiſſe religiosè ex eo patet, quòd eam magnis honoribus & oblatis dignitatibus prætulerit, quod humilibus ac pauperibus totâ vitâ lubenter conſueuerit, quod tantus Concionator quantus fuit, tamen rudes Chriſtianam doctrinam auidè doceret; quòd tàm apud paucos & ignobiles auditores, quàm apud confertos ac nobiles pari alacritate diceret; quod vt faciles ac mites amabat vnicè, ita arrogantes ac ſuperbos nullo modò ferre poſſet, quòd nunquam de ſuis rebus loqueretur. Quod maximè in Italia notatum, vbi quandiu ſubſtitit, nemo eum querentem de illatis ſibi in Gallia iniuriis, nemo de rebus à ſe geſtis vnquam loquentem audiuit. Solebat ſe humilitatis causâ patibuli ſeu furcæ reliquias appellare; in corporis cura nihil ſibi præter conſueta in Societate Iesv volebat tribui, audituſque eſt quæri grauiter

apud Alexandrum Georgium Collegij Pariſienſis Rectorem, quod Præſulis inſtar tractaretur, eo quòd cùm ſemel in die cibum caperet, aliquid ei præter aliorum victum præberi pateretur.

Demiſſioni animi affine eſt paupertatis & Obedientiæ ſtudium, quæ etiam in eo ſuam laudem habuerunt. Nunquam genus humile erubuit, ſed ipſe prima Mediaſtini officia, & Peruſij continuatam culinæ curam apud ſocios prædicabat. Propinquis & affinibus nunquam, etſi maximè poſſet, beneficium vllum aut fauorem procurauit, ſed tantùm nepotem vnum de pauperibus eſſe voluit, quos Henricus tertius in Claromontano Collegio ſtudiorum causâ alebat. Vicennis cùm à P. Vela pro Collegij Muſſipontani negotiis viſeretur, repertus eſt vt alter Diogenes in verſo dolio aſſidere, ibique libros euoluere quos habebat. Literas nullas vnquam miſit, quas non ſcripſiſſet, nec vllius operâ manúve eſt vſus in tanta negotiorum, quibus ſæpè premebatur, multitudine.

Amabat egenos ac pauperes, nec in quemquam illorum poterat oculos intendere abſque aliquo doloris ſenſu &

ſubleuandi deſiderio; ſuſcipiebat eorum cauſas, ac negotia publicè priuatímque protegebat contra impugnantes, eleëmoſynis iuuabat, procurabat domicilia, doctrinâ Chriſtianâ imbuebat, præceptis ac legibus coërcebat, & paternum in eos affectum oſtendebat.

Nec minoris æſtimabat Obedientiam quam Societatis Iesv virtutem honoris causâ nominabat, nec ſolùm aliis commendatam optabat, vt multi, ſed in rebus maxime duris ac moleſtis exercebat. Quidquid aliis intolerabile videri ſolet, iucundum & optabile ſibi eſſe reputabat, accedente voce vel nutu Superioris. Iuſſus multoties ex Gallia in Italiam & ex Italia in Galliam ire, per varia pericula, & temporum innumeras difficultates, ſola fretus, ac nixus Obedientia iuit, & quæ præcipiebantur impleuit. Monitus de Aula Chriſtianiſſimi Regis relinquenda à Superioribus, nec id fieri poſſe niſi ipſe facultatem diſcedendi ab Rege obtineret, extemplò Regem adiit qui à ſummo Pontifice retinendi quandiu vellet etiam independenter à Superioribus poteſtatem impetrarat, & habebat ipſe per ſeſe, nihilominus obtinuit.

Lugduno pulſus à fœderatis Principibus non detrectauit, nec tulit moleſtè, ſtatim atque factum arbitrio Superioris audiuit. Et cum ſciret expedire imprimis ad Regis, Regni & Eccleſiæ Gallicanæ bonum, vt cum ſummo Pontifice & Patre Generali Romæ tractaret de rebus maximi momenti, quarum veritatem perfectè nouerat ipſe, & ſciebat ab maxima parte Cardinalium Romanæ Curiæ ignorari, immò per literas factioſorum quotidie infringi, ac deformari, nihilominus ſtatim ac ſenſit ſe optato ac modis omnibus perquiſito aditu Romanæ Vrbis per Superiores prohiberi, atque aliò amandari, non ſolùm patienter, ſed etiam moderatè alacritérque tulit & ſe comparauit ad reditum.

Recténe an ſecus ſenſerit ille quondã Augerij ſocius, qui, audiente Frontone-Ducæo ac referente, dicebat eum in aliqua virtute excelluiſſe, quam nec ipſe volebat nominare, nec poterat oratione explicare, non definio; ſed tantùm coniicio vnam potuiſſe eſſe ex tribus ſequentibus, caſtitatem in carne, conuerſationem in ſermone, & familiaritatem cum Deo in oratione. Nam Caſtitate in-

ſignem fuiſſe tam mente quam corpore argumento eſt, quod multi teſtantur eum peruigilem, ac perattentum fuiſſe ad præcauenda & fugienda omnia quæ huic virtuti repugnant. Quod in victu ſobrium, ſimplicem in cultu, modeſtum in inceſſu, continentem in aſpectu, in congreſſu familiari hilarem ac prudentem. Quod literarum amantem, lectioni deditum, ſolitudinis amicum, otij hoſtem, nec vnquam minus ſolum, quàm cum ſolus eſſet. Laudatur etiam quòd cum viris aliquando, rariſſimè ac parciſſimè loqueretur cum fœminis. Quod corpus abſtinentia, ieiuniis, vigiliis, aliiſque id genus cruciatibus caſtigaret. Quod cum aliis pœnitentiæ opera præſcriberet prædicaretque, ea magis exemplo quam oratione vſurpanda confirmaret.

Iam quod attinet ad conuerſationem cum proximo, nemo eſt qui non ſublimem, nemo, qui non in omni genere perfectam attribuat. Audiebatur non ſolùm à Magnatibus & aulæ Proce[illegible]us, quibus erat in deliciis, ſed etiam ab Aduerſariis & infenſis abſque faſtidio: & cum domi ſociis ſe adiungebat ad recreationem animi, quidam ſuſtentationi

Cum hoc accepiſſet ſingulare à Deo donū vt ferme aduerſariis gratus foret. Hiſt. Soc. lib. 7. n. 59.

corporis neceſſariæ aliquid ſponte præcidebant, vt loquenti aurem præberent, alij ſibi etiam ad tempus loquendi facultatem. Nemo vnquam ab eius congreſſu diſcedebat, niſi hilaris aut inuitus, & ſemper pauciora dixiſſe quàm multa credebatur; ita de re omni ſubitò ſapienter, periucundè ac concinnè loquebatur. Quod ne cuiquam incredibile, aut fictum à me putetur, produco verba trium teſtium, quorum vnus affirmat Augerium tàm fuiſſe admirabilem in priuato quotidianóque congreſſu, quàm in publico de ſuggeſtu, & ſolitum ad diuerſa hominum ingenia moréſque ita ſubtiliter ſuauitérque aptare ſermonem, vt antequam aduertiſſent ſe capi caperentur. Alter congreſſum ei tribuit piè ſanctum, verè ingenuum ac nobilem, cuius ope magnum virorum ac fœminarum Principum numerum Chriſto adiunxiſſet, quamuis in loquendò ita breuis & parcus eſſet, vt ſemper ſui audiendi cupiditatem, & diutius cum eo verſandi relinqueret. Tertius etſi Mediolani Augerium exiguo tempore vidit, animaduertit tamen in eo tam eximiam paucíſque communem quolibet idio-

P. Ludouicus Richeomus.

P. Ioannes Gerardus.

P. Emmanuel Oreſtius.

mate loquendi facultatem cum quouis hominum genere, vt ad ſe non ſolùm traheret, ſed cogeret auditorem.

Atque haud ſcio ſi quid efficacius iſtis probationibus addi poſſit, niſi forte quod paucis commutatis ab Angelo dictum memini, Patriarchæ Iacobo poſt luctam cum eo ſuſceptam, nempe quod ſi tam oratione fortis ac potens Augerius fuit apud homines, non oportuiſſe minus fortem ac potentem eſſe apud Deum: quod reipſa illi contigiſſe nemo negabit, qui ſæpius à multis deprehenſum animaduertet in priuato conclaui manibus in crucis formam expanſis, oculis ad cœlum conuerſis, erecto modò corpore, modò genibus nixo, coram Chriſti è cruce pendentis imagine, cum Deo loqui, & erumpere in ſuſpiria ac voces tanto diuini amoris æſtu accenſas, vt audirentur à ſociis, & audientium corda ſuauiſſimo deuotionis ſenſu perfunderent. Enimuero ferunt ex illo cœleſti diuinoque colloquio Moſis inſtar ſolitum egredi toto vultu lumine perfuſum, nonnunquam etiam lacrymis ex oculis manantibus, aliàs more Prophetici carbonis ignitum, affirmant hinc hau-

ſiſſe pietatis & doctrinæ imbres, quos poſtea in ſiticuloſos verbi Dei populos effunderet. Hinc petiiſſe materiam concionum, hinc arcanorum ſcripturæ Myſteriorum ſcientiam. Hinc arma & copias quibus ſe aduerſus potentiſſimorum aduerſariorum impetus defenderet. Hinc denique animi generoſi ac fortitudinis inuictæ magnitudinem quam opponeret tot ærumnis ac calamitatibus, quibus eum toto vitæ tempore ab omni ferè hominum genere contigit exerceri, & ad perfectam tolerantiam promoueri.

Nam ſi quis de Societate Iesv varios aduerſæ fortunæ caſus, ſi quis iræ acerbitatem in cauſa Dei, Religionis, & Regis Henrici eſt expertus, ſanè expertus eſt Augerius, ferendúmque grauiter ac permoleſtè quod literas in quibus multa continebantur, quæ ſpectabant notitiam eorum quæ pertulit paulo ante obitum flammis tradi iuſſit & comburi. Ex his enim nullo negotio potuiſſet cognoſci, quæ machinæ, & quæ artes fuiſſent ab eius Aduerſariis inuentæ, vt Regi & Regni Proceribus ſuſpectus redderetur aut pelleretur ab Aula, quibus calumniis

Pariſiis & Lugduni onuſtus, quibus iniuriis Venetiis, quibus de cauſis vrbis Romæ ingreſſu prohibitus. Quis eo ſpectante tabulam pictam ſibi à Chriſtianiſſimo Rege dono datam, & honoris causâ in cubiculo ſtudioſè conſeruatam manibus lacerauit, & pedibus proculcauit, quis aduerſus eum hæreticorum inſidias quis maleuolorum enſes, quis factioſorum furorem excitauit, aliáque ijs grauiora, quæ magnam huic hiſtoriæ lucem, nec min[illegible]rem eius conſtantiæ & in perferend[illegible] aduerſis magnanimitati commendationis laudem afferrent. Nam ter mortem ſibi oblatam ac paratam tantùm non excepit, bis mulctatus & pulſus exilio, bis peſti expoſitus, reſti ac patibulo ſemel, in itineribus ſæpè, vel vti B. Paulus, periculis latronum, periculis fluminum, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis ex falſis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in ieiuniis multis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate. 2. ad Corinth. cap. 11. n. 25.

Præter iſta quæ extrinſecùs ſunt feruidus animarum & ſalutis proximorum zelus, Eccleſiæ Catholicæ defendendæ amor, Martyrij & vitæ pro Chriſti fide

amittendæ deſiderium, Prophetiæ donum, Augerij mentem vehementer adhuc exornarunt. Nam multa illum diuinitùs cognouiſſe ac prædixiſſe, nonnulli affirmarunt de rebus ad Galliæ ſtatum ſpectantibus, & præſertim Henrici Borbonij Nauarræ Regis conuerſionem ad Catholicam fidem, poſt adeptum Regnum Galliæ, clementiam, pietatem, felicitatem, bellicam fortitudinem, immo & paternum in Societatem IESV affectum, quæ poſtea vti pronuntiarat euenerunt. Zelus autem alienæ ſalutis, qui illum Pariſiis ſemel impulit ad ingrediendum per feneſtram hominis phrenetici ac periculosè furentis, cubiculum, & Eccleſiæ defendendæ ardor, qui mille periculis obiecit, ſe in omnibus vitæ partibus ità manifeſtè produnt vt fermè pudeat hîc eorum refricare memoriam. Reſtat ergò tantùm Martyrij & ſanguinis profundendi ſitis, quæ quanta in illo fuerit literæ ad Reuerendum P. Generalem Mediolano ſcriptæ paucis ante mortem menſibus ſatis oſtendunt, in quibus exemplo ſancti Dominici poſtulabat ſibi poteſtatem fieri Chriſti cruci affixi effigiem ferendi in

Contra Religionis hoſtes cruce lignea præ-

fronte exercitus, qui tunc dicebatur aduerſus hæreticorum copias in Gallia moueri. Deinde ipſamet Augerij verba excerpta de prologo Tragœdiæ qui Blandinæ nomen dedit, vbi ſic loquitur.

batinermi nullo perſtrictus telo & intacta Chriſti imagine victoriæ pars magna fuit. Ita Nicol. Ianſſenius in eius vita.

„ *Nihil opto, ſpero, flagito, expecto, ambio,*
„ *Niſi me per aſpera, triſtia, cruenta, horrida.*
„ *Supplicia iũgat martyrum turmis Deus.*
„ *Nam ſi beatitudo mercanda eſt nece,*
„ *Magis beatum reddet immitis magis.*

Verùm quid eſt opus perſequendis percenſendiſque Emundi virtutibus diutius hîc morari, cum Epigrammate, quod de verò Ieſuita gallicè compoſuit, ita ſuis omnibus coloribus ſeſe ſuaſque virtutes depinxerit, vt qui vitam Emundi cum eo contulerit, quàm primùm iudicet, deſcripſiſſe ſe ipſum, factáque ſua ad eam quam continet perfectionem exactè conformaſſe.

„ *Calcaſſe mundum, ſemper expertem ſuæ*
„ *Electionis præſulis nutum ſequi.*
„ *Ambire, acerba perpeti, nihil ſuum*
„ *Reputare terris, ſenſuum domito impetu,*
„ *Animiq; brutis motibus; terræ accolam*
„ *Cœlo morari mente, cenſorem ſui*
„ *Animi latentes ſæpe ſcrutari ſinus.*

,, *Diligere ſocios, ſimplici prudentiâ*
,, *Vtendò multa facere, perpaucis loqui,*
,, *Tribuere honorem cæteris, nihil ſibi,*
,, *Cupere latere nomen obſcurum omnibus,*
,, *Vni explicare, contrahere frontem alteri,*
,, *Vigilare, ieiunare, nunquam conqueri,*
,, *Onerare cælum precibus, & nomen Dei*
,, *Per vtraſq; ferre ſolis igniuomi domos,*
,, *Atheum rebellem frangere, hæreticum*
,, *inſequi,*
,, *Per flammam & enſes ruere pro cauſa*
,, *Dei,*
,, *Hoc eſt, Amice, Ieſuitam exiſtere.*
Siue potius vnicâ voce mutatâ,
,, *Hoc eſt Emundum Ieſuitam exiſtere.*

CAPVT IX.
Augerij Eloquentia & dicendi vis exemplis illuſtrata.

QVONIAM omnium quæ hactenùs ab Augerio facta eſſe narratum eſt, non modò comes fuit, ſed etiam adminiſtra maximarum vbique rerum radix ac parens Eloquentia, non abs re vt opinor, poſt earum virtutum narrationem quæ in eo dominatæ ſunt, vltima pars huius hiſtoriæ illi velut Ancillæ tribue-

tur, tùm vt magnæ omnino & ad Eccleſiæ Catholicæ vtilitatem perneceſſariæ facultati ſuus honor accedat, tùm maximè, vt ij qui ad concionandi munus apud Chriſtianos & Catholicos poſt Augerium à Deo vocantur, intelligant ex illius dicendi ratione ac virtutibus, quid poſt partam multarum ac maximarum virtutum ſupellectilem in eo munere ſequi debeant & intueri.

Fama eſt multorum grauiſſimorum doctiſſimorúmque hominum oratione ſtabilita, qui Augerium in diuerſis Galliæ vrbibus concionantem audiuerunt, affirmantium, non modò primùm in Galliæ pulpita Eccleſiaſtica Eloquentiam introduxiſſe, ſed etiam ad eum perfectionis apicem dicendò prouexiſſe, vt nemo ſequentium in Gallia Oratorum (qui tamen magni atque præſtantes fuerunt) attigerit adhuc, aut attingere niſi cùm magna difficultate poſſit; cum, vt aiunt in his magna ad dicendum ornamenta doctrinæ atque facundiæ fuerint; ſed ita in ſingulos diſtributa, vt vnus ſuauitate & dicendi vbertate excelleret, alter grauitate ac maieſtate orationis; ille doceret aptè, argutè diſputaret, dele-

ctaret eximiè, hic ſapienter affectum perculleret; nemo tamen, in quo hæc ſimul eſſent, præter vnum Augerium, in quo hæc omnia fuiſſe confirmabant.

Noui ego virum doctrinâ, ætate, iudicio, & virtute præclarum, quem cum curioſiſſimè de Augerij dicendi facultate ſciſcitarer, & an ea vera eſſent, quæ de eo ab multis inaudieram, reſpondit ea quæ dicerentur, inferiora eius facultate videri; neque me illius eloquentiæ magnitudinem concipere poſſe, niſi talem animo fingerem qualem Tullius in Oratore deſcripſiſſet.

Quæ etſi mihi tũ incredibilia videbantur, duorum facundiam iactanti, quorum tunc erat fama in totâ Galliâ celebris, mihique videbatur admirabilis dicendi facilitas, tamen vbi poſtea idem à multis aliis affirmari didici, mecumque perpendi diligentiùs quæ in eo dicebantur extitiſſe dicendi ornamenta, non omnino diſſentiendum putaui, præſertim cum in eo omnia cernerentur, quæ in ſummo Oratore peritiſſimi dicendi Magiſtri requirunt; ſumma ad dicendum naturæ facultas, eruditio non vulgaris, ſcientia rerum maximarum, quem par dicendi,

loquendique conſuetudo comitabatur. Natura illi perſpicax,ſubtile,promptum, accenſum, audax ingenium ſuppeditauerat, poſuerat in oculis miſtum hilaritati ſplendorem,firmitatem in lateribus, in voce temperatum ſuauitate robur, in manibus miram ad omne genus affectuum exprimendum volubilitatem,linguam dederat expeditam,anguſtámque, os probè ac venuſtè compoſitum;tantam autem in vultu dignitatem ac maieſtatem, vt penè antequam cœpiſſet os aperire, loqúi ac perſuadere videretur.

Memoria diues naturæ in paucis beneficium ingenio bellè reſpondebat, ſi quidem nihil ab eo lectum ſemel quod iterum legere opus eſſet. Poëtarum atque Hiſtoricorum maximam partem memoriâ ita ſepierat,vt paginas integras redderet ex tempore. Diui Pauli epiſtolas omnes didicerat, Chryſoſtomum ita loquebatur, vt totum Græcè aut Latinè ſcire videretur.

Prodigij inſtar erat aliquando illum audire in quibuſdam concionibus, nihil niſi ſacri inſtrumenti, & veterum Patrum ſcripta laudantem; in aliis ita fusâ ac perpetuâ periodorum volubilitate

fluentem, vt eius orationis curſum nullæ omnino citationum ſalebræ interpellarent.

Iam verò quis eius in omni genere doctrinæ abundantem eruditionem pro dignitate proſequatur, qui præter Poëticæ ac Rhetoricæ artes, quas diu Romæ, Patauijque ac Venetiis profeſſus fuerat, arcana Philoſophiæ ac Theologiæ ita ſtudendò legendóque penetrarat, vt illuſtre Theologi nomen meritò retulerit, pleriſque in locis, & ſuſtinuerit probè.

Non erat ignarus Medicinæ ac ſcientiæ iuris, neque illius quæ in numeris atque apta vocis moderandæ flectendæque ratione verſatur. Nulla ars tam humilis atque homine ingenuo indigna, quam cùm de illa loquebatur, ipſi opifices ac Magiſtri exercuiſſe non iuraſſent. Ita cuiuſlibet opificij atque inſtrumenti nomina, proprietates vſumque ſua oratione exprimebat.

In antiquorum Patrum ac Conciliorum lectione (qua in re proprium Concionatoris Chriſtiani officium reponebat) ita erat aſſiduus, vt quidquid erat vacui temporis à publicis priuatiſque negotiis, illud totum huic ſtudio conſe-

eraret. Linguarum quinque præter Hebraïcam peritus erat, itaque familiarem earum vſum ſibi ac vernaculæ reddiderat. Pariſiis cum orabat, nobiles eius temporis Eccleſiaſtæ palàm concionem contrahere ſe dicebant, vt populus ei audiendo intereſſe poſſet. Et Arnaldus Sorbinus notæ in Gallia facundiæ vir & doctrinæ, ob quam in Epiſcopum Niuernenſem eſt euectus, cum eum habiturum concionem in æde ſancti Seuerini didiciſſet, populum qui frequens ad ſe in Diui Benedicti templum conuenerat, non ſolùm oratione ſua ad eum audiendum excitauit, ſed etiam pertraxit exemplo, cum relicto pulpito in quod aſcenderat, ſe tranſtulit in eum locum, vnde concionem audiuit ipſe, & audiendi facultatem populo gratiſſimam iucundiſſimámque præbuit.

Aliàs dùm quotidie Pariſiis in Diui Ludouici ſanctiori Capellæ vt vocant, ab Henrico Rege frequentique Senatu audiretur, contigit vt iam inchoata fermè per quadrantem concione aduentaret, alterâ hebdomadæ ſanctæ die in qua de Chriſti in horto facta oratione, piè eloquentérque diſſerebat, cúmque aliquan-

diu tacendò, vti tanti Principis præſentia requirebat, ſubſtitiſſet, tùm demùm conuertens oculos ad Regem & Principum comitum conſeſſum, ita retexuit appoſitè quæ paulo ante ſatis multis explicarat, concluſitque paucis, per eadem verba & ſententiam, à quâ propter eius aduentum diſceſſerat, vt à Senatus Principe, qui aderat cum pluribus Regiorum libellorum Magiſtris facti induſtriam, cum pari eloquentiæ venuſtate admiranti palàm exclamatum fuerit. Ad neminem pertinere præſtare illa quæ mox ab Augerio facta eſſe cerneret, niſi ad eum qui primum ſupremúmque in Gallia inter ſacros Oratores locum teneret.

Enimuerò qui rem geſtam audiuit retulítque, affirmabat etiam ſe vidiſſe in hac ipſa concione ex aliorum Auditorum oculis fluentes lacrymas, altáque ſuſpiria, quòd in ea Oratoriæ facultatis parte excelleret, quæ in permouendis hominum affectibus, & quocumque vellet impellendis dominatur, cuius ope ita audientium animos pertractare conſueuerat, vt poſſet ſponte ab lacrymis ad lætitiam, & à lætitia ad lacrymas deducere, pari facilitate, qua ab perito pul-

ſandæ

ſandæ cytharæ Magiſtro in multiplices varioſque ſonos contorquetur. Vnde fiebat vt ſtatim atque virtutis alicuius formam ſuis ornamentis coloribúſque depinxerat,ac tutùm placeret,& quando alicuius peccati deformitatem, tam te-trum ac deteſtabile appareret,vt horrore potius quàm aſpectu dignum crederetur. Si languens animus in ſpem boni alicuius erigendus erat,ſic dicendò illud efferebat, & reddebat ad obtinendum procliue, vt pœnè manibus capi videretur. Denique tantum ad eius vocem erat omnium affectionum humanarum obſequium,vt non tam facile nauis vento remíſque pelleretur, quàm Augerij eloquentiâ Auditorum animi.

Nomine Oratoris ornandus eſt qui languentē aut labentem populū excitare, aut ab errore deducere, aut inflammare in improbos, qui denique quemcumque in animus hominū motum, ſi res & cauſa poſtulat, ſedare poſſit. Cicero 1. de Oratore.

Dolæ,quæ vrbs eſt apud ſequanos non infimæ notæ,cum die feſto Diui Mathæi Apoſtoli,publicè de alicuius peccati turpitudine dixiſſet grauiter & acerbè, repertus eſt qui tanto horrore quateretur, vt rigerent capilli, membra tremerent, caderet frons vultúſque, ſic vt mortuo ſimilior quàm viuenti cerneretur. Et cum in ſuperfluum corporis ornatum apud Tholoſates eſſet inuectus, tanta repente in nobilium Matronarum mori-

bus animiſque mutatio ſecuta eſt, vt quadraginta cultu ad Chriſtianæ modeſtiæ formam redacto, ſeuerum vitæ genus amplexæ ſint, aliæ ingentis pretij, veſtes Deo obtulerint, ad multorum templorum ornamentum, pluribus qui intererant ſtupore perculſis, & cum ſilentio in digreſſu quærentibus ſecum, quâ tandem ratione fieri poſſet, vt ineſſet vis tanta in hominis oratione, quantam in Augerio concionante experti eſſent.

Lutetiæ cùm nobilis Aulicus intellecta Augerij in dicendo vi, & in affectibus concitandis mira facilitate amici ſodalis rideret carperetque flendi in eo audiendo conſuetudinem. Vis, inquit ille, pactâ & conſignatâ pecuniæ ſummâ conuentum inter nos, quòd tertiò non poſſis audire concionantem ſine lacrymis, quantumuis te ſilicem in corde & oculis habere iactes & imperuium fletibus animum; cui cùm annuiſſet, è veſtigio itur ad templum obfirmata contra lacrymas mente; auditur Augerius, rei geſtæ ignarus, tanta copia atque dicendi vbertate loquens, quanta ſuffecit ad frangendum ſilicem cordis, & expri-

mendas lacrymas ex oculis Aulici repugnantis, & pactam pecuniam vltrò offerentis, quòd victum ſe diceret malle extemplo diſcedere quàm victorem.

Quibus cum vix afferri poſſit ex tota antiquitate, ad confirmandam Augerij eloquentiam illuſtrius argumentum, nec illa quæ de Timotheo Alexandri magni Buccinatore, & Xenophante Philoſopho eiuſdem Regis Aulete veteris hiſtoriæ monimentis tam magnificè ſcribuntur, ad hanc eloquentiæ vim accedant, quid poteſt supereſſe niſi vt in Augerio perfectionem inueniſſe dicatur: & Deo omnium bonorum autori gratiæ referantur, quòd Societati in qua diu piéque vixit floruítque, iam ab ipſo pœne naſcentis exordio, tam præſtantes virtute atque eloquentiâ viros dederit, iiſque inſtruxerit donis, quæ ſeculorum ſequentium recordationem mereantur, & Poſterorum non ſegnem ſocordémque Imitationem.

Alexãdrum aiunt Xenophante ca‹n›ente manum ad arma miſiſſe. Seneca lib. 2. de Ira, cap. 2.

F I N I S.

Index Erratorum præcipuorum totius operis & emendatio.

PAgina 3. linea 11. Alelmanum, lege, Allemanum. pag 9 lin.16. aduerſum, l ad verſum. p.12. l.3 ex illo, l ex illâ p.13. l.18. Peruſius, l. Peruſinus. p.16 l 20. vitio, l. exitio. & lin 23. cum l. eum. p.17. l.18. fecerant, l. fixerant. p 18. l. 11. frigidiſſimum, l. frigidiſſimam. p.20. l.10. cum, l. eum p.23. l.20. eſſet, l. eſſe. p.24. l 7. excreuiſſent, l. exercuiſſent. p.26. l. extremâ pepererant, l. pepererunt. p.29. l.17. Emundus in, l. Emundus autem in. & à capite hoc conſilio, &c. p.32. l 12. iſtic, l. illic. & l.24. excitare, l. extricare. p.34. l.16. reuerſus, l reuerſas. p.39. l.18. vana cauſa, l. vano & cauſa. p.43. l.8. cenſu, l. cenſa. p.51. l.6. quo, l. quod. p.61. l.2. Intereà, l. Interrat. & l.21. deferre, l. defert p.63. l.24. exierunt, l. exierant. p.68. l.11. propagare, l. propagari. p.76. l.15. Societate, l. Societatis. p 77. l.9. ieiuniis, l. ieiunus. p.86. l.15. quam, l. quod. p.87. l.1. & ſi, l. etſi. p.96 l.4. dele &. p.107. l.18. demiſſi, l. dimiſſi. p.118. l.24 confirmatum, l. confirmatam. p.120. l.27. vt, l &. p.128. l.6. vicenis quinæ, l. vicenæ quinæ. p.140. l.10. leritano, l. leptano. & l 13. eidem, l. eiſdem. p.144. l.24. Ameniaci, l. Armeniaci. p.147. l.18. & refectum, l. ei refert, cum. p.165. l.15 ſcientiam, l. licentiam. & l.9. eius, l. ſtudio eius.

L
B
10

A01 1471399